# Distinctio XXXV
## Pars Quarta

"Unde est etiam quod omnia dicuntur esse ei praesentia", etc. Postquam Magister intulit unum correlative ex dictis*, videlicet quod propter Dei scientiam omnia dicuntur esse vita in ipso, in hac parte infert unum aliud, quod scilicet propter eandem scientiam omnia dicuntur sibi praesentia, tam praeterita quam futura. Cognoscit enim ea quae non sunt sicut ea quae sunt, nam apud Deum nihil praeteriit nihilque futurum est, in illo enim sunt omnia cognitione quadam ineffabili sapientiae suae, secundum Augustinum.

Haec est sententia.

### Utrum Deus cognoscat singularia cognitione certa.

Et quia Magister hic dicit omnia, tam praesentia quam praeterita quam futura, esse praesentia **/Vb 380vb/** Deo, et ipsius cognitione ineffabili contineri, hoc autem non esset nisi[1] cognosceret singularia – illa enim sunt quae praetereunt et in futurum eveniunt, nam universalia abstrahunt ab huiusmodi differentiis, cum universale semper sit et ubique – ideo inquirendum occurrit utrum Deus cognoscat singularia cognitione certa. Et videtur quod non, Deus enim nihil cognoscit nisi cognitione intellectiva. Sed singulare intellectiva cognitione apprehendi non potest, sed tantum sensitiva, iuxta illud universale dum intelligitur, particulare dum sentitur. Unde Philosophus in III *De anima* probat quod magnitudo, hoc est individuum et singulare, comprehenditur per aliam virtutem, quod quid est autem, hoc est universale, per aliam, quia illud per imaginationem, istud vero per intellectum; ubi dicit Commentator quod in hoc incepit **/X 804b/** dare differentiam inter intellectum in actu et imaginationem in actu. Ergo Deus singularia cognoscere non potest.

Praeterea, nulla notitia Deo debet attribui quae vilitatem inducit. Sed notitia singularium est huiusmodi, cum multa vilia sint quae est[2] melius non videre quam videre, ut Philosophus dicit XII *Metaphysicae* et Commentator ibidem, com. 49. Igitur Deus singularia non cognoscit.

Praeterea, omnis cognitio fit per assimilationem. Sed Deus singulari nullatenus assimilatur, cum Deus sit pura forma, singulare autem sit individuum et signatum per materiam, nam generans non generat aliud nisi propter materiam, sicut Philosophus dicit VII *Metaphysicae*. Ergo Deus singulare cognoscere non potest. Et confirmatur per illud Commentatoris in *De substantia orbis*, dicentis quod materia non habet esse in actu nisi secundum quod sentitur, quemadmodum forma non habet esse nisi secundum quod intelligitur.

Praeterea, Deus non habet scientiam illorum quae incerta sunt et quorum non potest esse disciplina. Sed secundum Porphyrium singularia incerta sunt, nec possibile est de eis fieri disciplina. Ergo Deus singularia non cognoscit.

Praeterea, Philosophus dicit I *Posteriorum* quod sensus est singularium et intellectus universalium. Sed Deus est maxime intellectus. Ergo singularia non cognoscit.

Praeterea, immaterialior est intellectus divinus quam humanus. Sed Philosophus in III *De anima* dicit quod intellectus noster non intelligit singulare, nisi quodam modo circumflexe; ubi dicit Commentator, com. 22, quod, cum entia dividantur in hoc singulare et suam formam, necesse est quod anima comprehensiva comprehendat ea per duas virtutes aut per unam, sed[3] duabus diversis dispositionibus; cum duabus autem erit quando comprehenderit utramque per se, scilicet formas separatim et individuum separatim, per unam vero et dispositionem diversam quando comprehenderit alietatem inter illa. Et subdit quod comprehendit formas per se et comprehendit individuum mediante sensu, alietatem autem per dispositionem diversam quemadmodum sensus communis differentiam inter sensibilia. Haec Commentator. Ex quibus colligitur quod intellectus noster propter sui abstractionem, non cognoscit per se nisi formas et naturas universales, et si cognoscit singulare, non cognoscit nisi per coniunctionem cum sensu

[1] nisi] cognitione *del.* Vb
[2] est *corr. s.l. ex* etiam
[3] unam, sed] se Vb


© R. L. Friedman

et mediante imaginatione. Imaginatio autem in Deo non est. Igitur Deus singularia non cognoscit.

Praeterea, Deus non cognoscit aliquid nisi suam essentiam cognoscendo. Sed cognoscendo suam essentiam, singularia cognoscere non potest, cum ipse sit causa universalis et non particularis aut appropriata alicui individuo. Igitur Deus singularia non cognoscet.

Praeterea, cognitio singularis ut singularis est non est secundum modum universalem, **/Vb 381ra/** sed modo signato et distincto. Sed Algazel dicit III *Metaphysicae* suae quod primus non scit particularia nisi secundum manifestationem universalem. Igitur id[4] quod prius. **/X 805a/**

**Quod Deus singularia cognoscat.** Sed in oppositum videtur quod Commentator ait XII *Metaphysicae*, com. 49. Dicit enim quod scientia Dei est causa rerum. Sed manifestum est quod non est causa rerum solum in universali, immo in particulari, cum universale non generetur per se[5], sed individuo generato, ut patet VII *Metaphysicae*. Ergo Deus per suam scientiam creando res, singularia vere cognoscit.

Praeterea, impossibile est aliquem iuste remunerare aut punire iuste[6] nisi cognoscat personas in singulari et actus particulares earum. Sed Apostolus dicit ad Hebreos 12 quod oportet accedentem ad Deum credere, quia est et quia bonorum remunerator est; et Prov. 16 dicitur quod omnes viae hominum patent oculis eius. Ergo Deus singularia cognoscit.

**Responsio ad quaestionem.** Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque inquiretur de intellectu humano, an per se et directe singularia cognoscat. Secundo vero de intellectu divino, an singularia et individua signata intelligat. Tertio vero inquiretur modus et possibilitas. Quarto quoque inquiretur ex dictis an Dei scientia dici possit universalis vel particularis.

## Articulus Primus

**Opinio Thomae, parte prima, q. 86, art. 1, et lib. II *Contra Gentiles*, cap. 28.** Circa primum ergo considerandum quod aliqui dicere voluerunt singulare materiale ab intellectu nostro primo et directe cognosci non posse; indirecte autem et per quandam reflexionem posse sive conversionem.

Et primum quidem patet, quia omne abstractum a condicionibus materialibus quae sunt hic et nunc, remanet commune et universale. Sed nihil potest intelligi ab intellectu humano quin a materia et huiusmodi condicionibus abstrahatur. Nam operatio intellectus agentis est phantasmata ab huiusmodi condicionibus sequestrare et separare, ita quod species intelligibilis, post actionem intellectus agentis, necesse est quod remaneat ut repraesentans rem et naturam simpliciter, non hanc vel illam. Ergo noster intellectus singularia directe non potest intelligere.

Praeterea, quod est unicum in superioribus, in inferioribus est multiplicatum. Sed anima humana est inferior inter omnes substantias intellectivas. Substantiae autem separatae cognoscunt singularia et universalia per unicum principium, videlicet per intellectum. Ergo humana anima per duo principia illa cognoscet singularia, scilicet per imaginationem et sensum; universalia vero per intellectum.

Praeterea, Philosophus ubique videtur dicere quod sensus et imaginatio sit singularium, intellectus autem universalium et per hoc assignat differentiam imaginationis ad intellectum in III *De anima*. Sed hoc non esset si directe singulare posset intelligi. Igitur id quod prius. **/X 805b/**

Secundum vero, scilicet quod indirecte et per reflexionem possit intelligi, patet quia probatum est in III *De anima* quod intellectus non potest aliquid intelligere quin ad phantasmata convertatur. Sed phantasmata sunt species particularium et singularium. Ergo intellectus convertendo se ad phantasmata et reflectendo super illa singularia cognoscet.

---

4 id *mg*. Vb

5 per se *iter et del*. Vb

6 iuste *mg*. Vb


© R. L. Friedman

Est tamen sciendum secundum istos quod **/Vb 381rb/** singulari, in quantum singulare, non repugnat intelligi, sed in quantum singulare materiale; et ideo anima, licet sit singularis, intelligibilis est, et similiter substantiae separatae.

**Opinio Willielmi de Marra et sequatium suorum.** Dixerunt vero alii quod intellectus noster singulare intelligit directe, immo primo quam universale; conversio enim intellectus ad aliquid non est aliud quam intelligere illud, non enim convertitur facialiter aut situaliter, cum sit abstractus, sed tantum per actum suum. Sed intellectus noster secundum Philosophum et positores praedictae opinionis necessario convertitur ad phantasma, nec potest universale intelligere nisi ad phantasma convertatur. Ergo necesse est quod si debeat universale intelligere, praeintelligat, ordine naturae saltem, ipsum phantasma quod est particulare, cum conversio ad phantasma sit prius in ordine naturae quam intellectio universalis in ipso phantasmate.

Praeterea, speculari non est aliud quam intelligere. Sed Aristoteles dicit quod intelligentem necesse est phantasmata speculari. Ergo necesse est quod phantasmata intellectus cognoscat etiam prius ordine naturae quam aliquid in phantasmate.

Praeterea, formare syllogismum expositorium videtur pertinere ad intellectum, discurrere enim et syllogizare actus est intellectus. Sed in syllogismo expositorio medium est signatum et singulare. Ergo cognoscere singulare signatum pertinet ad intellectum.

Praeterea, nulla potentia ponit differentiam inter aliqua quin cognoscat illa, sicut patet quod sensus particularis differentiam non ponit inter sensibile suum et sensibile alterius sensus, quia illud aliud non cognoscit, sensus autem communis differentiam ponere potest quia apprehendit utrumque. Sed manifestum est quod intellectus differentiam ponit inter particulare et universale. Ergo utrumque cognoscit. Et si dicatur quod verum est quod universale cognoscit per se, singulare vero ut coniungitur cum imaginatione, non valet. Aut enim sic cum imaginatione coniungitur quod alium actum et aliam speciem, per quam cognoscit particulare, recipit intellectus in se, quamvis non nisi praesente phantasmate et imaginatione in actu suo existente; et sic aeque directe intelliget singulare sicut universale, quia per propriam speciem et proprium actum, quamvis indigeat praesentia phantasmatis obiective; nec hoc impedit directam intellectionem, cum universale non nisi in phantasmate speculetur. Aut si apprehendit mediante imaginatione singulari quod actus imaginationis et eius species recipitur in eo, quod omnino impossibile **/X 806a/** est, cum idem accidens non possit esse in pluribus substantiis. Aut nullum actum vel speciem respectu particularis recipit. Et sic nullo modo intelligit etiam reflectendo et convertendo se ad phantasmata, et ita dari non poterit qualiter assignet differentiam inter universale et particulare, nec etiam qualiter formet hanc propositionem: ‘Sortes est homo’, aut faciat syllogismum expositorium in quo medium sumitur singulare.

Est ergo sciendum quod cognitio universalis est propria intellectui, nec sensui communicatur; cognitio vero singularium communis est ambobus, quia quicquid potest virtus inferior potest superior et amplius. Unde habet se intellectus ad omnem sensitivam[7] apprehensionem, sicut sensus communis ad sensum particularem, est autem sic quod unumquodque denominatur ab eo quod est proprium sibi, sicut dicimus quod sensus communis ponit differentiam inter sensibilia sensuum propriorum; nec per hoc negamus quin sensibilia propria **/Vb 381va/** cognoscat. Et per eandem rationem dicitur quod intellectus est universalium aut quod universale est dum intelligitur et similia, et quod particulare sentitur per hoc, denotantes quod universalis apprehensio est propria intellectui quia sensus est singularium tantummodo et praecise.

**Quid dicendum secundum veritatem. Et primo quid facit hic difficultatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur sub triplici propositione.

Prima quidem quod difficultas oritur in praesenti quaesito ex unico syllogismo cuius maior et minor videtur posse demonstrative probari. Qui talis est. Impossible est singulare in sua singularitate cognosci nisi designando et demonstrando ipsum sub certo et determinato situ in ordine ad apprehendentem potentiam seu ad illum qui singulare cognoscit. Sed talem

[7] sensitivam] imaginationem *add. et del.* Vb


© R. L. Friedman

cognitionem demonstrantem et designantem rem aliquam sub certo situ impossible est esse in intellectu. Ergo notitiam singularis signati, in quantum signatum est, impossibile est esse in intellectu.

Istius ergo rationis maior videtur posse demonstrative probari. Impossibile est enim quod species aliqua vel similitudo representet singulare signatum distincte et determinate, contra omne aliud signatum eiusdem rationis, nisi representet illud sub certo situ, ita quod repraesentatio fiat per modum intentionalium linearum eo modo quo videmus quod species sensitiva repraesentat obiectum coniunctum situaliter (ut in tactu) vel distans (ut in visu), ita quod omnia, quae sensantur per iudicium sensitivum, statuuntur in aliquo situ pro eo quod species linealiter repraesentat. Si enim species abstraheretur a tali modo repraesentandi, ipsa esset indifferens ad quodlibet singulare illius speciei, singularia namque, cum sint ultimate eiusdem rationis[8], similia sunt; et per consequens similitudo unius alterum repraesentat in quantum similitudo, **/X 806b/** similiorum enim eadem est similitudo. Non est ergo ratio quare aliqua species magis representet hoc singulare quam illud nec per aliud appropriatur illa similitudo quae in quantum similitudo indifferens est, nisi quatenus repraesentat modo lineari intentionaliter in cuius termino prope* vel longe statuitur res quae cognoscitur; et ita quot sunt species tot erunt res repraesentatae et situaliter* distinctae. Sed cognoscibilitas uniuscuiusque rei* sequitur modum sui repraesentativi per quod est in apprehensiva potentia. Ergo singulare aliter non est cognoscibile, nisi per apprehensionem demonstrantem* ipsum hic vel ibi.

Praeterea, omne cognoscens aliquid propria cognitione, virtute illius cognitionis distinguit ipsum ab omni alio quocumque. Sed si ponerentur duo homines simili in colore et figura ac quantitate, et universaliter in omni accidente tam animae quam corporis, constat quod qui illos imaginantur non possunt unum distinguere ab alio nisi cognitione demonstrativa et situativa, dicendo scilicet intra se ‘quamvis isti sint simillimi, iste tamen non est ille’. Dicendo autem ‘istum’ et ‘illum’, poneret unum hic et reliquum illic, vel, si diceret ‘hunc’ et ‘illum’ demonstraret hunc ut hic et illum ut illic. Pronomina enim demonstrativa sumpta sunt a differentiis situs, quia ‘iste’ ab ‘istuc’ et ‘ille’ ab ‘illic’, et ‘hic’ pronomen ab ‘hic’ adverbio loci. Quocumque autem modo considerarentur illi duo homines per **/Vb 381vb/** considerationem, non distinguentur certitudinaliter unus ab alio, nisi per considerationem demonstrativam et designativam eorum in diverso situ, immo qui acciperet unum, acciperet alium. Ergo patet quod singulare et individuum signatum apprehendi non potest in quantum huiusmodi, nisi cognitione designante ipsum sub determinata distantia situali.

Praeterea, nulla cognitione apprehenditur individuum ut signatum nisi sub illa qua apprehenditur ut incommunicabile; nullum enim communicabile est individuum signatum. Sed manifestum est quod quacumque cognitione res aliqua apprehendatur quod apprehenditur communicabile est et reperibile in pluribus, nisi dum apprehenditur sub cognitione demonstrativa et designativa certi situs. Si enim apprehendatur aliquis homo individualis, quicquid apprehenditur de illo commune est, nisi apprehendatur ut iste vel ille, quia si concipio quod est homo, plures homines reperiri possunt; si vero quod aliquis homo, plures sunt aliquis homo; si vero quod individuus, plures sunt individui; si vero quod unus, plures sunt quorum quilibet est unus; si vero bipedalis vel talis figurae, et plures possunt esse tales; si vero quod situatus et positus in certo situ, et plures possunt reperiri qui sunt in certo situ; si vero quod Sortes, et plures possunt reperiri qui vocantur Sortes. Sed si apprehendatur ut iste homo, impossibile est quod plures sint quorum quilibet sit iste homo. Certum est autem quod ista cognitio non differt a praedictis nisi quia est demonstrativa rei quae apprehenditur ut istuc sub isto determinato situ. Ergo nulla alia cognitione potest apprehendi individuum ut signatum et incommunicabile quin totum quod apprehenditur sit commune non* tali situativa cognitione. **/X 807a/**

Sed forte dicetur quod dato quod essent in eodem situ signata individua, utpote duo corpora gloriosa similia et aequalia essent simul, tunc non possent distingui in situ, immo essent in eodem hic vel eodem illuc, et tamen unum non esset aliud realiter, et posset dicere apprehendens ‘hoc corpus non est illud’. Si utique sic dicatur, non valet, quia per necessitatem

[8] rationis *om.* Vb


© R. L. Friedman

apprehendens sic dicendo situm variabit et corpus unum propinquius situabit in ordine ad se, ut cum dicet 'hoc corpus', aliud vero distantius, ut cum dicet 'non est illud corpus', immo dicendo 'hoc corpus non est hoc aliud corpus', necessario ponet unum ad unam partem et aliud ad aliam.

Ex quo patet quod ille situs de quo hic agitur non oportet quod sit realis, sed est situs intentionalis qui terminat individuum et apprehensionem, ut secundum numerum apprehensionum demonstrativarum sit numerus talium situum, propter quod dicitur apprehensio demonstrativa ac designativa et demonstrativa, nec aliqua apprehensione alia potest signatum individuum apprehendi.

Est autem considerandum quod illud quod est situs in permansivis est prius et posterius, sive nunc et tunc in successivis. Unde si dentur duo soni simillimi, unus heri et alter hodie, non poterunt cognosci quod iste sonus et ille, distinguendo eos numeraliter, nisi quatenus apprehendetur ille ut tunc et iste ut nunc. Non enim distinguentur ut hic et ibi, si fuerint ab eadem campana. Et propter hoc demonstrativa et designativa cognitio non solum est situativa, ita quod differat secundum diversum situm, immo est etiam hoc modo quantitativa quod potest differre **/Vb 382ra/** secundum nunc et tunc sive secundum tempus. Et hinc est quod consuevit dici cognitionem individui signati concernere hic et nunc vel alterum illorum.

Premissae vero rationis minor videtur posse etiam demonstrative probari, videlicet quod nulla talis demonstrativa cognitio sit possibilis potentiae intellectivae aut alicui potentiae abstractae a quantitate. Certum est enim quod modus operandi sequitur modum essendi. Unde Philosophus I *De anima* dicit quod si est aliqua operatio abstracta, necessario ponendum est animam esse abstractam secundum potentiam, cuius est illa operatio; et per oppositum, si operatio sit quantitativa et materialis, necesse est quod potentia sit quantitativa et materialis. Sed manifestum est quod talis apprehensio designativa et demonstrativa rei, ponens rem in esse intentionali aut in esse apprehenso sub certo situ aut sub certo successionis termino, utpote hic vel ibi, aut nunc vel tunc; omnis inquam apprehensio talis vel iudicium tale est quantitativum quantitate intentionali. Sic enim tale iudicium demonstrativum sub linea imaginaria cuius terminus dicitur hic vel ibi, vel nunc vel tunc, ut quasi quaedam linea procedat ab ipso apprehendente in prius, ut cum dicitur 'tunc fuit'; aut in posterius, ut cum dicitur 'tunc erit'; aut in directum* et simul ut cum dicitur 'nunc sit'; aut in situm propinquum **/X 807b/**, ut cum dicitur 'iste homo'; aut in distans, ut cum dicitur 'ille homo'; aut in eundem reflectendo, ut cum dicitur 'ipse ego'. Ex quo patet quod demonstrativa notitia linearis est et quoddam iudicium quantitativum quoad modum apprehendendi, non quidem quod sint ibi[9] lineae tales reales, sed quia modus iudicandi est talis. Ergo non competit apprehensio talis potentiae non-quantitativae et incorporeae, alioquin incorporeum et non-quantum servaret in sua operatione modum corporeum et quantum, et non sequeretur modus operandi modum essendi. Cum igitur intellectiva potentia sit abstracta, quia incorporea et non-quanta, necesse est quod abstrahat ab isto modo cognoscendi, et per consequens nihil potest cognoscere demonstrando vel situando, dicendo videlicet 'hanc lineam' vel 'hanc quantitatem' vel 'hominem istum'; sed abstrahendo concipit lineam simpliciter vel quantitatem vel hominem, alioquin haberet modum cognoscendi materialem et quantitativum.

Praeterea, modus repraesentandi sequitur modum essendi ipsius speciei. Sed repraesentare rem aliquam modo distantis linealiter vel propinqui, et ita ut hic vel ibi, est repraesentare modo quantitativo quia sub lineis imaginariis. Ergo non competit speciei non habenti realiter esse quantitativum. Manifestum est autem quod species informans intellectum non est realiter quanta, immo spiritualis et incorporea. Ergo tantum repraesentabit rem absolute et non ut hic vel ibi, et per consequens nec ut demonstrabilem per istud vel illud; aliter autem non potest ut signata cognosci. Ergo impossibile est quod intellectus cognoscat singulare signatum.

Praeterea, impossibile est quod iudicium intentionaliter lineare possit competere alicui potentiae inter quam et suum obiectum non potest cadere linea imaginarie ducta. Iam enim ex modo cognoscendi necessario ducitur, ex quo ponitur quod iudicium fiat per modum linearem. Sed inter intellectum et eius obiectum non potest duci linea media nec etiam inter <eum et> aliquid quod non sit quantum, non enim inter duos angelos, cum unus intelligit alium, **/Vb**

[9] *mg.* Vb


© R. L. Friedman

**382rb/** potest trahi linea media, cum inter se non distent; alioquin corporum universitate destructa, remanerent distantiae angelorum et dimensiones imaginabiles inter eos, quod absonum est. Et iterum si inter intellectum et obiectum cognitum posset imaginari linea media intercidens inter illa, necessario caperet intellectum, cum sit indivisibile quoddam, per modum termini lineae; terminus autem lineae punctus est, et secundum hoc intellectus erit indivisibile positum sicut punctus; quod tamen non competit etiam unitati quae non est magis abstracta quam intellectus; unde sicut phantasticum est dicere quod unitas terminet* lineam imaginariam, sic quod intellectus terminet eam. Et hinc est quod dum intelligitur linea simpliciter vel homo vel quantitas, non intelligitur ut propinqua vel distans vel ut hic vel ibi, sed penitus abstrahendo. Ergo impossible ut videtur quod demonstrativa aut designativa notitia quae propria est singulari signato competat potentiae intellectivae. **/X 808a/**

Sic igitur patet quod ex praemissis propositionibus videtur demonstrative inferri quod intellectus nullum individuum signatum sub sua signatione apprehendat non solum materiale ut prima opinio dicebat, immo nec immateriale, quia repugnat sibi in quantum signatum est, cum non sit aliter cognoscibile quam demonstrando et designando ut istum vel illum. Et rursum patet quod non impeditur pro eo quod habet materiam, cum materia possit cognosci abstracte; nec propter aliquid quod se teneat ex parte ipsius in ratione cogniti, sive sit situs sive sit quantitas, cum situs et quantitas possit non demonstrative aut designative cognosci. Sed impeditur ex modo cognoscendi, quia nulla apprehensio attingit individuum ut signatum et ut incommunicabile, nisi demonstrativa et designativa procedens a potentia per modum iudicii linearis. Et iterum patet quid est dictu intellectum abstrahere a condicionibus materialibus, abstrahit quidem non obiective, cum nulla sit materialis condicio quam intelligere non possit, quia et quantitatem et situm et lineam ac distantiam et omne aliud quod dicatur materiale, sed abstrahit modaliter quantum ad modum cognoscendi, quia non habet iudicium lineare designativum atque demonstrativum et situale. Patet etiam quid est dictu condicio materialis a qua abstrahit intellectus, quia non est aliud quam modus situalis, corporeus, et quantitativus. Corporeitas enim et quantitas quaedam appelatur materialitas quaedam, pro eo quod quantitas ac trina dimensio inest composito per materiam, cum sit proprietas primae materiae, ut Commentator dicit in III *Caeli et mundi*.

**Quod intentio fuit Philosophi et Commentatoris intellectum non apprehendere aliquid <in>communicabile et signatum, sed tantum communicabile, et ita formam et naturam simpliciter non signatam, et propter hoc nullam intelligentiam abstractam intelligere individua aliquo modo, animam vero humanam cognoscere aliquo modo.** Secunda vero propositio est quod mens fuit Philosophi et Commentatoris quod nullo modo intellectus attingit aliquid quod non remaneat communicabile, et per consequens forma simplex simpliciter non signata. Et sic exponit Commentator mentem ipsius in III *De anima*, com. 22, formans rationem Philosophi per hunc modum: sicut se habet intentio apprehensa ad intentionem aliam apprehensam, sic virtus comprehensiva ad virtutem comprehensivam, cum potentiae distinguantur ex obiectis. Sed manifestum est quod forma simpliciter et individuum quod est hoc et signatum sub illa forma differunt, quia quaedam **/Vb 382va/** sunt entia in quibus non invenitur haec secunda intentio, scilicet individuum et forma signata, sicut in substantiis abstractis, quae sunt formae et naturae simpliciter subsistentes, non hae* formae signatae; in quibusdam vero reperiuntur istae duae intentiones, sicut in magnitudine et in omni corporeo aut quanto, aliud est enim magnitudo et haec magnitudo; et homo simpliciter et hic homo signatus; et aliud albedo simpliciter, quod non est aliud quam quod quid est et natura, aliud vero haec albedo. Ergo necesse est quod formas[10] simpliciter cognoscat per aliam virtutem, scilicet per intellectum, formas vero singulares et istas **/X 808b/** apprehendat per aliud, videlicet per imaginationem et sensum. Et propter hoc Commentator infra, com. 31, dicit quod si res imaginatae et intellectae essent una intentio, non esset differentia inter universale et individuum. Et subdit quod, cum sit duplex ordo intentionum, unus individualium et singularium, quae sunt formae signatae, alius vero universalium, quae sunt formae simpliciter, intellectus agens

[10] formas] forma Vb


© R. L. Friedman

transfert rem de ordine in ordinem, cum formam signatam abstrahit a signatione reliquendo formam simpliciter. Similiter etiam com. 18 in eodem capitulo ponit definitionem intellectus possibilis, dicens quod est illud quod est in potentia omnes intentiones formarum universalium, differens a prima materia in hoc quod ipse est in potentia omnes intentiones formarum universalium, prima autem materia recipit formas diversas et individuas et istas. Ex quo apparet quod intellectus possibilis non est aliquid hoc nec corpus nec virtus in corpore, quoniam tunc reciperet formas, secundum quod sunt diversae et istae. Et non distinguunt naturam formarum secundum quod sunt formae. Haec illae. Ex quibus patet quod intellectus apud eum nullo modo intelligit singulare signatum.

Ulterius mens fuit Philosophi et sui Commentoris quod anima potest singulare et formam simpliciter comprehendere per se quodlibet sigillatim, et tunc comprehendit per duas virtutes, ut dictum est. Quandoque vero comprehendit eas simul, ut cum ponit differentiam inter individuum et formam vel cum praedicat formam de individuo et tunc comprehendit per eandem virtutem, aliter se habentem. Habet enim se tunc intellectus respectu individui, sicut sensus communis respectu sensuum propriorum, nam sicut non cognoscit sensus communis per se propria obiecta sensuum, sed mediantibus particularibus sensibus, per se tamen differentiam ponit inter illa, et hoc est quia sensus particulares reducuntur in ipsum, tamquam in centrum, sic intellectus, mediante imaginatione, comprehendit particulare, universale vero per se et similiter differentiam unius ab altero et compositionem unius cum altero[11]. Et hoc expresse dicit Commentator in III *De anima*, com. 22, cum ait quod necesse est quando aliquid comprehendit diversitatem inter aliqua duo, ut sit unum uno modo et multa alio modo, quemadmodum sensus communis comprehendit alietatem inter sensibilia per dispositionem diversam quia per sensus plures; et talis est dispositio intellectus in comprehendendo alietatem quae est inter formam et individuum, comprehendit enim formas per se et individuum, mediante sensu. Haec ille. Ex quibus patet quod quia eadem est anima quae iudicat universale per intellectum et individuum per sensum, ita quod utrumque iudicium refertur ad animam tamquam ad centrum, idcirco experitur differentiam eorumdem. Nec oportet quod apprehensio individui sit subiective in intellectu, sed tantum in imaginatione, **/Vb 382vb/** et tamen intellectus dicitur illa apprehensione cognoscere individuum, mediante sensu, pro eo quod quodam modo efficiuntur una virtus, sicut plures **/X 809a/** sensus efficiuntur unum in sensu communi. Unde intellectus differentiam assignans, dicitur formam apprehendere per se, individuum vero concomitative propter identitatem animae, ad quam utrumque iudicium refertur, differentiam vero per se secundum mentem eius.

Ulterius mens fuit utriusque quod intellectus se habeat per modum rectae lineae et quasi extensae, cum, mediante imaginatione, experimentatur singulare; secundum vero lineam spiralem vel circumflexam – quae non est proprie circularis, quia non redit ad eundum punctum – cum intelligit formam in illo singulari, et deinde resolvit illam formam in aliam communiorem, et deinde illam aliam in aliam communiorem, et sic procedendo ad modum spirae, sicut est in vitibus torcularium vel templorum, donec perveniat ad formam simplicem a qua non potest fieri ulterior abstractio, ubi sistit. Et sic exponit Commentator reflexionem intellectus in III *De anima*, com. 23, ubi dicit quod necesse est quod experimentatur forma, aut per dispositionem lineae rectae, cum intellexerit primam formam existentem in hac ut singulare, aut secundum dispositionem similem lineae spirali, quando fuerit reversa quaerendo intelligere quiditatem illius formae, deinde quiditatem illius quiditatis quousque perveniat ad simplicem quiditatem. Non enim cessabit quousque perveniat ad formam simplicem. Haec Commentator. Ex quibus patet quod doctores illi non intellexerunt intellectus* reflexionem, de qua Philosophus loquitur in III *De anima*, qui dixerunt quod singulare intelligitur per reflexionem, universale vero directe, cum oppositum Philosophus intendat.

Ulterius mens extitit utriusque quod intelligentiae separatae, quibus non coniungitur imaginatio vel sensus, nullo modo intelligerent singulare, nec per se nec mediante imaginatione, quia carent illa. Et hoc magis in secundo articulo apparebit.

[11] et compositionem . . . altero *mg.* Vb


© R. L. Friedman

**Quid sit veritatis in dictis Philosophi et Commentatoris.** Tertia quoque propositio est quod ea quae dicta sunt secundum Philosophum et Commentatorem suum, vera sunt quidem pro statu viae et intellectus coniuncti cum phantasmate, non autem pro statu intellectus simpliciter nec pro intelligentiis separatis. Ad cuius evidentiam tria sunt consideranda. Primum quidem quod multa sunt intelligibilia per se et directe quae tamen intellectus coniunctus pro statu viae cognoscere non potest. Constat enim quod substantia lapidis et propria natura cuiuslibet substantiae intelligibilis est quantum est ex se ab omni accidente denudata, cum substantia sit prior definitione quocumque accidente et separata secundum rationem, nec oporteat eam definiri per accidentia et additamenta, ut patet; haec omnia VII *Metaphysicae*. Certum est autem quod nullus pro tempore viae experitur se substantias proprias rerum naturalium[12] intelligere, eas ab accidentibus spoliando et denudando. **/X 809b/** Ergo aliqua sunt intelligibilia per se et secundum aliquem modum, quae tamen intellectus coniunctus non potest attingere pro tempore huius viae.

Praeterea, intelligentiae separatae sunt maxime intelligibiles, tamquam manifestissima in natura, ut patet II *Metaphysicae*. Sed pro tempore huius viae nullus experitur se ad earum **/Vb 383ra/** notitiam pervenisse. Igitur id quod prius.

Praeterea, supra dictum fuit quod intuitiva notitia est possibilis poni in intellectu. Certum est autem quod, pro statu intellectus coniuncti in via, nullas substantias intuetur, alioquin posset cognosci absentia panis in sacramento altaris et potuisset Eva cognovisse intuitive demonem qui loquebatur in serpente. Igitur multa sunt possibilia intellectui* simpliciter quae non potest prout est phantasmati coniunctus pro statu viatoris.

Secundum vero considerandum est quod individuum duplex est. Quoddam quidem signatum ut iste vel ille; quoddam vero abstractum a designatione et situ, utpote quidam angelus aut quaedam anima individualis et certa, quae tamen designari non potest: non est enim haec anima aut hic angelus, ut magis videbitur in secundo.

Adhuc individuum signatum potest cognosci cognitione demonstrativa et designativa, sic quod cognoscens dicat 'iste homo' vel 'ille', vel potest cognosci cognitione immateriali et abstracta non demonstrando individuum ut istud vel illud. Et quod hoc modo immateriali et abstracto cognosci possit apparet, sicut enim res se habet ad esse, sic ad intelligi et cognosci, ut patet II *Metaphysicae*. Sed manifestum est quod individua etiam signata, utpote Sortes vel Plato, non sunt individua* certa et distincta in se per hoc quod sint demonstrabilia aut in situ; tum quia, variato situ, adhuc remanet idem individuum; tum quia manente distinctione individuorum poni possunt in eodem situ per divinam potentiam, sicut caelum et corpora gloriosa; tum quia demonstrabile aut esse designabile, videtur relatio accidens ipsi Sorti, et per consequens Sortes non distinguitur a Platone per esse designabile distincte, aut per hoc quod designetur in actu. Ergo cognosci potest etiam signatum individuum absque hoc quod demonstretur vel signetur ut hoc vel illud.

Praeterea, individuum potest accipi vel vagum vel signatum vel signationi substratum. Vagum quidem ut aliquis homo. Substratum vero ut numeralis natura quae subiecta est situi et relationi demonstrabilitatis, constat enim quod designabilitas aut signatio respicit aliquod substratum quod universale non est, sed potius individua natura. Signatum vero, ut hic homo, ita quod esse hoc vel illum, non aliud importat circa aliquem hominem individuum nisi modum quo attingitur a cognoscente. Attingitur enim notitia demonstrativa atque situativa et sub quodam iudicio lineali. Unde actualis demonstratio importata per 'istud' vel 'illud' attingit individuum quod in se certum est et distinctum sub quodam modo qui non dat sibi formaliter distinctionem et certitudinem in se, sed tantummodo in ordine ad cognoscentem. Sed manifestum est quod omne illud quod est **/X 810a/** certum et distinctum in se cognosci potest ut sit absque omni modo quo redditur certum per accidens et in ordine ad cognoscentem qui ratione imperfectionis suae indiget tali modo certificanti. Ergo individuum cognosci potest immaterialiter et abstracte absque hoc quod designetur ut iste vel ille. Et posset ratio sic formari: sicut se habet res ad esse certum et distinctum, sic se habet ad posse cognosci ut certum quid et distinctum. Sed individuum signatum certum est in se et distinctum absque hoc quod sit hic vel ibi aut nunc vel

[12] naturalium] se *add.* Vb


© R. L. Friedman

tunc, quia quocumque modo varientur ista, remanet idem individuum distinctum et certum; et similiter **/Vb 383rb/** absque hoc quod importat istud vel illud, cum non dicat nisi modum quo attingitur a cognoscente demonstrative et designative. Ergo individuum cognoscibile est et certificabile alicui notitiae non designative vel demonstrative.

Praeterea, individua eiusdem rationis, cum hoc quod sunt similia absque dissimilitudine omni, ut patet de duabus lineis eiusdem quantitatis, nihilominus unum non est aliud. Unde stant simul ista duo, scilicet quod individuorum quodlibet sit aliquid certum in se nec sit aliud aliquo modo, et tamen quod similia sint. Sed omnis entitas cognoscibilis est. Ergo aliqua cognitio potest attingere ad individuum prout est in se distinctum quamvis alteri simillimum. Manifestum est autem quod non est distinctum quatenus a cognoscente signatur, immo signatio sequitur distinctionem; nec quatenus* est signabile aut demonstrabile, immo habitudines istae praeexigunt ipsum esse distinctum; nec potest dici* quod in se sit signatum sine habitudine ad signantem, impossibile est enim quod signatum vel signabile insit alicui absolute, sed tamen in ordine ad signante. Igitur necesse est quod individuum possit cognosci cognitione aliqua attingente ipsum ut indivisum quid in se certum et distinctum absque hoc quod designetur vel demonstretur ut istud vel illud.

Praeterea, impossibile est poni distinctionem inter aliqua quin utrumque cognoscatur. Sed inter individuum substratum et suam signabilitatem differentia poni potest, cognoscit enim mens de hac linea signata et demonstrata quod substratum signationi et demonstrationi, scilicet quod demonstratur, non est idem cum signatione et demonstratione sua. Unde aliud est ibi quod demonstratur et aliud esse demonstrabile vel signabile, aut esse demonstratum vel signatum in actu. Non potest autem dici quod illud sit linea simplex*, illa enim demonstrari non potest, sed est linea particularis et distincta*. Ergo mens potest cognoscere individuum substratum distinguendo ipsum a signatione sua seu demonstratione; aut igitur cognoscendo substratum ut sic distinguitur cognoscit ipsum signando et demonstrando vel non. Et si detur primum, proceditur in infinitum, quod, si non reputetur impossibile (quod secundum Avicennam, V *Metaphysicae*, non est inconveniens procedi in infinitum in actibus rationis), nihilominus notandum* est quod nullus actus ponens differentiam inter obiectum et alium actum est eiusdem modi aut eiusdem rationis cum illo actu; non enim actus visionis ponit differentiam inter obiectum et alium actum eiusdem **/X 810b/** modi aut eiusdem rationis cum illo actu, non enim actus visionis ponit differentia inter obiectum et aliam visionem. Unde etiam in intellectu actus reflexus est alterius modi et alterius rationis ab actu recto. Igitur dici non potest quod apprehensione demonstrativa et designativa ponatur differentia inter substratum individuum quod signatur et suum esse signatum. Relinquitur ergo quod individuum substratum quod vere signatum est possit cognosci non signando nec demonstrando.

Tertium vero considerandum est quod Deus et intelligentiae separatae impossibile est quod intelligant singulare signatum signando aut demonstrando ipsum ut hoc vel illud, quia tale iudicium habet modum materialem, linealem, et situativum ac quantitativum, quod omnino Deo repugnat et substantiis abstractis. Possunt tamen intelligere omne signatum individuum abstractive et immaterialiter, non signando, sed de hoc magis inferius apparebit. Intellectus vero humanus individuum signatum non potest intelligere etiam demonstrando et situando, cum sit potentia separata, sed nec potest illud intelligere praecise et directe, non demonstrando **/Vb 383va/** neque signando, sicut substantiae separatae, quia cum phantasmate coniungitur. Nullus enim experitur se posse attingere ad individualem lineam quin dicat ‘hanc lineam’ vel ‘hunc hominem’ designando, nec potest ponere differentiam inter duas lineas, nisi penes diversos situs, si sint similiae, cum tamen non differant per situm, cum sit posterius quid et passio quantitatis. Unde patet quod non intelligitur individuum per certitudinem ab intellectu coniuncto, exclusa omni signatione aut demonstratione, cognoscitur tamen sub huiusmodi signatione ab intellectu quasi arguitive, arguit namque imaginatione existente in suo iudicio demonstrativo istius lineae vel illius quod est substratum, sive <quod> demonstratum per istud et illud est aliquid in se certum et distinctum, differens ab esse signabili et signato. Et ita quodam iudicio non-demonstrativo attingit substrata individua; non tamen nisi in respectu ad signationem, concipit enim non demonstrando haec duo, illud scilicet quod demonstratur atque


© R. L. Friedman

signatur per imaginationem et in quantum demonstratur, et secundum hoc intelligit individuum certum et distinctum in ipso phantasmate, modo tamen immateriali et abstractive; nec umquam per certitudinem et distinctionem eius ab omni alio, nisi in respectu ad signationem quam facit imaginatio. Et ita potest dici quod intelligit ipsum quodam modo per coniunctionem cum phantasmate, vel magis proprie per arguitionem. Unde patet qualiter diversimode intelligit universale et singulare, universale namque intelligit per se et intuitive, non coniungendo illud cum phantasmate, sed potius abstrahendo, quamvis non nisi in phantasmate; singulare vero arguitive et per coniunctionem cum phantasmate, quia per suum immateriale iudicium non posset individuum unum ab alio distinguere nisi referendo ipsum ad individuum materiale quo apprehenditur cum demonstratione. **/X 811a/** Et haec est mens Commentatoris in II *De anima*, com. 65*, cum ait quod debet scire quod comprehensio intentionis individui est sensuum et comprehensio intellectionis universalis est intellectus; universalitas autem et individualitas comprehenditur per intellectum, scilicet dispositio universalis et individui. Haec Commentator.

Et secundum hoc patet quid dicendum cum quaeritur an intellectus noster intelligat singulare signatum, dicendum est enim quod non signando vel demonstrando, quia ille iudicium est materiale, dicendum tamen quod sit non signando sive* demonstrando, sed quodam iudicio immateriali, quod tamen non habet nisi arguitive, referendo scilicet quod demonstratur per imaginationem ad aliquid quod designatur ad ipsam signationem. Per hoc enim cognoscit quod substratum non est natura universalis, sed est quoddam certum et distinctum ab omni alio eiusdem rationis.

**Responsio ad ea quae inducebantur in prima et secunda opinione, et in probatione maiori syllogismi facientis difficultatem.** Nec valent motiva primae opinionis. Primum siquidem non, quia non est verum quod omne intelligibile abstrahatur a condicionibus materialibus obiective, nec ab esse hic et nunc; immo intellectus potest omnem condicionem materialem intelligere et attribuere alteri. Sed huiusmodi abstractio est intelligenda modaliter, videlicet quoad condicionem iudicii, ne iudicium sit lineale secundum lineam successionis, in cuius termino ponatur res in esse iudicato dicendo ‘tunc’ vel ‘nunc’; nec etiam secundum lineam situalem, in cuius termino apprehendatur res vel dicatur ut hic vel ibi. A tali namque materiali modo abstrahit intellectus iudicando **/Vb 383vb/** de situ, iudicio abstractivo et non situali. Et per consequens potest intelligere individuum etiam signatum.

Non valet etiam secundum, quia verum est quod anima humana dupliciter cognoscit singularia. Primo quidem materialiter, demonstrativo iudicio signando ipsum; et hoc per imaginationem. Secundo vero immateriali iudicio, non demonstrando nec signando; et hoc per intellectum. Non est autem verum quod prima apprehensio et secunda uniantur in intelligentiis separatis, quamvis teneant superiorem gradum in intellectu.

Non valet etiam tertium, nam Philosophus attribuit cognitionem singularium signatorum imaginationi et sensui, universalium autem intellectui. Tum quia sensus et imaginatio apprehendunt singulare signatum determinative et signative, intellectus vero signatum non signative. Tum quia intellectus distinguit formas simpliciter ex se, reperiendo eas per se quod sunt alterius rationis, singularia vero, cum sint similia, non potest distinguere nisi in ordine ad signationem, considerando scilicet id quod demonstratur cum dicitur ‘haec albedo’ est aliquid distinctum ab omni alia albedine, non per demonstrationem aut signationem; nec tamen ipse intelligit distingui **/X 811b/** nisi sub signatione quam sensus et imaginatio facit.

Quod vero additur de reflexione aut conversione ad phantasmata, patet quod Philosophus numquam dixit quod singulare per reflexionem intelligatur, sed potius de quiditate; ait enim quod sensus[13] calidum et frigidum iudicat, quorum ratio quaedam est caro; alio autem, aut etiam separato, hoc est per aliam potentiam aut sicut circumflexa se habet ad se ipsam, cum scilicet intelligit quiditatem, et sequitur; aut cum extensa carnis esse discernit, per hoc volens innuere* quod primam quiditatem intelligit quasi recte; deinde vero* rediens super illam quiditatem, abstrahit communiorem quiditatem et sic procedit ascendendo, quasi modo spirali et circumflexi*. Ut iste sit processus: quod primo anima per sensum apprehendit carnem

[13] sensus] sensatio Vb


© R. L. Friedman

individualem quasi quoddam medium calidi et frigidi; deinde vero quasi extensa per intellectum, apprehendit carnem simpliciter, quae dicitur esse carnis; deinde vero quasi reflectendo super carnem, apprehendit corporeum et incorporeum aliud, donec sistat in simplici et irresolubili quiditate. Et sic exponit reflexionem Commentator respectu universalis, non respectu particularis; et sic habet expresse translatio antiqua, cuius verba sunt haec: Et experimentatur per aliud aut secundum dispositionem lineae spiralis, quamdiu durat apud esse carnis.

Non valent et motiva secundae opinionis, quamvis enim primum et secundum concludant efficaciter contra primam opinionem quod conversio intellectus ad phantasmata non est nisi per intellectionem et ita intelliget phantasma recipiendo speciem singularis, non tamen probant contra illud quod dictum est. Nam per istam conversionem intelligitur singulare immaterialiter et abstracte.

Non valet etiam tertium, quia syllogismum expositorium format intellectus, sed mediante imaginatione. Accipit enim medium quod est singulare signatum semper sub signationem quam facit imaginatio, quamvis ipse intellectus non signet.

Non valet etiam quartum. Verum est enim quod intellectus ponit differentiam inter individuum substratum signatum **/Vb 384ra/** per demonstrationem imaginationis, et ipsum universale, et per consequens intelligit singulare signatum, non tamen signando aut demonstrando; et similiter intelligit signationem et demonstrationem quam imaginatio facit, non tamen signando eam.

Et si dicatur quod illa signatio particularis est, et per consequens videtur intellectus abstractivo iudicio aliquod particulare intueri distincte et non solum arguitive, videlicet huiusmodi signationem, dicendum quod, dum reflectitur super talem signationem, necesse est quod imaginatio, cuius erat actus illa signatio, alio actu imaginetur illam signationem, quasi reflectendo et demonstrando ut hanc, cum sint plures signationes eiusdem rationis possibiles. Unde intellectus non demonstrat illam primam signationem, ut hanc, nec intelligit **/X 812a/** eam distinctam ab omni alia eiusdem rationis primo et per se, sed quatenus intelligit eam significari per actum reflexum imaginationis.

Non valet etiam motiva maioris syllogismi difficultatem facientis.

Primum siquidem non, verum est enim loquendo de intellectu nostro quod species, quae imprimitur in intellectu, repraesentat individuum vagum, utpote aliquem hominem vel aliquam lineam pedalem. Si ergo debeat intelligi linea signata, et hoc oportet: vel quod intellectus recipiat speciem repraesentantem lineam ut hic et modo situali, quod impossibile est, ut saepe dictum est; aut quod recipiat speciem repraesentantem signationem quam facit imaginatio, et sic per speciem alicuius lineae vagae et signationis imaginariae coniuncti, intelligit mens lineam hanc signatam, non quidem signatam per intellectum, sed per imaginationem, et sic intellectus intelligit rem signatam, et tamen signare eam non potest. Secundum hoc ergo patet quomodo species recepta in intellectu possibili, licet non representet nisi individuum vagum, appropriatur tamen signato per speciem illius actus quo res illa signatur, qui est actus imaginationis. In Deo vero quomodo sit postmodum apparebit. Quod autem dictum est de speciebus, intelligendum est de actibus, si species non ponantur.

Non valet etiam secundum, verum est enim quod nullo modo intellectus potest distinguere duo individua simillima, nisi intelligendo ea ut signata; istam tamen signationem non oportet quod faciat, sed facit eam imaginatio, et tunc intellectus intelligit quod signatum est per imaginationem quodam abstracto iudicio, non materiali nec designativo.

Non valet etiam tertium, quia verum est quod omne apprehensum cognitione alia quam designativa et demonstrativa est communicabile, et idcirco intellectus immediate non intelligit singulare incommunicabile et signatum, sed in quantum intelligit signationem et demonstrationem quam imaginatio facit. Intelligendo namque rem sub signatione imaginationis, intelligit singulare signatum, et secundum hoc apprehendit rem hanc vel illam; non tamen dicendo vel demonstrando eam ut hic vel ibi in ordine ad se. Unde sciendum quod secundum Porphyrium et Avicennam, et similiter secundum Boetium, individuum non potest cognosci ut distinctum a quocumque alio nisi per coniunctionem accidentium, cui non est in aliquo alio


© R. L. Friedman

similem reperiri, ut sunt pater, patria, locus, et similia; et idem sentit Boetius. Non quod sit eorum mens quod individua per huiusmodi accidentia tantummodo distinguantur realiter, immo per proprias naturas suas, sed distinguuntur per ista cognoscitive. Non enim possunt aliter distincte cognosci **/Vb 384rb/** nisi quatenus in aliquo sunt dissimilia. Non possunt autem distingui in ratione specifica, propter quod distinguuntur dum reperiuntur dissimilia in accidentibus propriis. Sed dato quod essent simillima in omnibus accidentibus, utpote duo corpora eiusdem quantitatis a Deo **/X 812b/** simul creata et per divinam potentiam simul existentia in eodem situ et habentia penitus similes qualitates, adhuc unum non esset aliud, nec tamen distinguerentur per dissimilitudinem accidentium, sed quia hoc non esset illud et ita posset imaginatio illa distinguere, demonstrando illa secundum diversum situm quem faceret intentionaliter, licet realiter imaginaretur illa in eodem situ. Et propter hoc melius dicendum secundum mentem Philosophi quod singulare non potest cognosci distincte nisi per imaginationem aut per intellectum convertentem se ad imagin<ation>em et apprehendentem rem ut signatam – non a se, sed ab imaginatione. Et certum est quod tale apprehensum incommunicabile est omnino.

**Conclusio totius articuli.** Sic igitur patet quomodo noster intellectus intelligit singulare. Vagum enim intelligit per se sicut et universale, est enim communicabile, nec cognoscibile demonstrando aut designando, sed absolute absque iudicio materiali et demonstrativo seu lineali. Singulare vero substratum non intelligit nisi ponendo differentiam inter actum imaginationis designativum quo dicimus, imaginando albedinem, ‘istam’ vel ‘illam’, et illud ad quod talis actus demonstrativus terminatur. Non enim albedo simpliciter est illa quae demonstratur cum dicitur ‘haec albedo’ vel ‘illa’; nec est quaedam albedo vage (!), cum illud sit quid commune; nec potest dici quod sit albedo haec et signata, alioquin idem terminaretur ad se et significatum illius demonstrationis, ‘haec albedo’ vel ‘illa’, terminaretur ad se ipsum. Et ideo necesse est quod terminetur ad individuum substratum demonstrationi et signationi, quod omnino incommunicabile est, et per hunc modum, differentiam assignando inter id quod demonstratur (ad quod ipsa determinatio terminatur) et esse demonstratum vel signatum in quantum huiusmodi, intelligitur individuum substratum signationi et demonstrationi. Individuum vero signatum in quantum signatum similiter intelligitur, mediante actuali demonstratione imaginationis. Accipiendo enim actum designativum* imaginationis et terminum substratum signationi simul, in quantum huiusmodi intelligitur individuum signatum in actu, ut haec albedo vel illa.

Et secundum hoc patet quod non potest intellectus attingere individuum substratum vel in quantum signatum per se et immediate et primo, sed secundario et per aliud ac mediante imaginatione. Unde oportet quod intelligat actum signativum et demonstrativum et terminum illius actus, et secundum hoc habet individuum signatum et demonstratum, licet ipse non demonstret. Et totum fundatur in hoc quod impossibile est aliquod incommunicabile apprehendi, nisi mediante actu designativo et demonstrativo, dicendo scilicet ‘albedinem istam’ vel ‘illam’, nam si dicatur ’quaedam albedo numeralis et distincta’, communicabile quid est, multae enim sunt quaedam albedines numerales et distinctae. Sed si addatur ‘haec numeralis **/X 813a/** albedo’, incommuncabilis est. Haec autem addi non potest nisi actu demonstrativo, dicere enim ‘hanc albedinem’ est ipsam demonstrare et designare in certo situ. Unde impossibile est quod apprehendatur haec albedo signata, nisi altero duorum modorum.

Primo quidem et per se ac immediate per actum huiusmodi cognitivum qui est demonstrare vel designare. Ista autem, cum materialis et linealis ac quantitativa sit, non potest competere **/Vb 384va/** intellectui, cum sit abstracta potentia et non quanta, alioquin modus operandi esset oppositus modo essendi.

Secundo vero per actum aliquem attingentem actum primum, qui est demonstrare vel designare; et hoc modo nihil repugnat quin intellectus apprehendat demonstratum et signatum. Et haec est mens Philosophi et Commentatoris, ut allegatum est supra, cum dicunt quod intellectus experimentatur formam quae communicabilis est primo, et per se et immediate, formam vero hanc singularem non primo nec per se, sed mediante actu virtutis imaginativae,


© R. L. Friedman

non quidem mediante eo formaliter, cum intellectus non possit informari per actum <virtutis> imaginativae, sed mediante eo obiective, quia actus demonstrativus huius albedinis et eius terminus concurrunt in ratione unius obiecti dum intelligit et apprehendit intellectus hanc albedinem demonstratam. Et est simile de sensu communi, qui apprehendendo visionem et obiectum eius, scilicet colorem, in ratione unius obiecti cognoscit colorem, non immediate, sed mediante visione terminata ad ipsam. Et propter hoc dicebat Commentator quod habet se intellectus in apprehendendo singulare, mediante imaginatione, sicut sensus communis in apprehendendo sensibile proprium, mediante sensu particulari.

Et in hoc articulus primus finitur.

## Articulus Secundus

**An Deus cognoscat singularia. Opinio Avicennae, VIII *Metaphysicae*.** Circa secundum vero considerandum quod aliqui dixerunt, ut Avicenna et Algazel, quod Deus cognoscit singularia signata, non quidem in sua signatione, sed quodam modo universaliter. Cognoscens enim regulas generales causarum, ex quibus sequuntur effectus singulares et determinati, dicitur effectus illos cognoscere universaliter et secundum regulas generales ut, verbi gratia, astrologus, qui novit motus solis et lunae et habitudines ac proportiones et numeros eorumdem, scit in mille annos omnes singulares eclipses solis et lunae futuras. Sed manifestum est quod Deus est causa omnium effectuum particularium, vel mediate vel immediate, scilicet mediantibus causis secundis ab ipso causatis. Ergo intelligendo se, cognoscit causas secundas et omnes singulares effectus qui sunt vel erunt in universo.

Sed hic modus dicendi est multum defectuosus, tum quia non cognosceret Deus perfecte singularia, perfectius enim cognoscit eclipsim, **/X 813b/** qui* videt eam in actu positam quam qui scit eam per calculationem esse et tamen non videt eam. Tum quia Deus sic cognoscendo non intelligeret aliquid incommunicabile et signatum, quia similis habitudo solis et lunae possibilis est esse alias, et ita similis eclipsis. Tum quia non est simile de effectibus qui de necessitate sequuntur ex creaturis, tales enim possunt sciri per regulas generales, et de singularibus contingentibus, quae non de necessitate sequuntur ex suis causis, cuiusmodi sunt multa singularia in universo. Unde patet quod ista scire non possunt certitudinaliter per regulas generales suarum causarum.

**Opinio Philosophi et Commentatoris.** Propterea dixerunt alii, ut Philosophus et Commentator, quod Deus nullo modo cognoscit singularia ut signata, sed solommodo quiditativas rationes omnium et veritates omnes specificas usque ad indivisibiles et athomas veritates, ita quod plus sciri non potest nisi signando et demonstrando ac individuando istas veritates. Quod non esse fas aut conveniens bonitati et perfectioni divinae, multipliciter probant. Illa enim notitia quae nullam perfectionem addit, sed forte vilitatem et imperfectionem, non est ponenda in Deo. Sed notitia demonstrativa **/Vb 384vb/** et designativa veritatum omnium generaliter cognitarum specifice et athome nullam perfectionem addit, sed potius concomitantur illam quaedam indignitates. Non enim veritas ista complexa, triangulus habet tres, perfectius scietur, si designative cognoscatur iste vel ille triangulus habere tres, et sic de omnibus aliis, quam si absolute sciatur omnis triangulus habet tres absque signatione istius vel illius. Et similiter de veritate incomplexa patet quod quiditas trianguli non melius scitur cognoscendo hunc triangulum vel illum quam absolute sciendo trianguli definitionem.

Et hoc confirmatur quia notitia scientifica, quae nobilior est quacumque alia, residet in specificis veritatibus, non procedit ad designationem vel demonstrationem illarum veritatum. Et iterum demonstratio universalis est nobilior quam particularis ut I *Posteriorum* probatur. Notitiam autem particularium signatorum multiplex turpitudo et vilitas comitatur, ut patet in nobis. Ergo notitia particularium signatorum non est ponenda in Deo.

Et si dicatur quod Philosophus in II *Priorum* dicit quod possum scire in universali quod omnis mula est sterilis et ignorare in particulari de aliqua mula, si peperit; dicendum quod verum est ratione materiae in talibus regulae universales patiuntur instantias in particulari, et ideo in talibus scire quod tales regulae sunt ut in pluribus et quod aliquando in tali casu vel tali


© R. L. Friedman

fieri potest oppositum est scire perfecte, tunc enim scietur quod generaliter nulla mula parere potest, nisi forte in tali vel tali casu, et tunc designare vel individuare hanc mulam non addit perfectionem ad priorem scientiam.

Praeterea, impossibile est infinita determinari ab aliqua scientia aut comprehendi seu terminari **/X 814a/** per illam, nam natura infiniti excludit finem et terminum*, nec potest poni in actu primo*, sed semper permixto cum potentia. Unde non est nisi in processu et in fieri non in facto esse, ut magis alias apparebit. Sed manifestum est quod singularia sunt infinita saltem potentialia. Ergo divina scientia comprehendi non possunt, hanc autem rationem cum praecedente deducit Commentator, Philosophum exponendo XII *Methaphysicae*, com. 59, et praecedentem etiam eodem libro com. 35.

Praeterea, nulla forma quae est tota natura et quiditas simpliciter subsistens potest habere in se similitudinem repraesentativam alicuius signati individui et singularis, quia quicquid est in tali quiditate simpliciter subsistente est natura simpliciter et non haec natura vel ista, propter quod non potest repraesentare aliquid nisi simpliciter et nullo modo signatum. Sed saepe dictum est quod Deus est natura tota simpliciter subsistens, est enim tota deitas et non haec deitas, alioquin essent possibiles plures dii. Ergo licet deitas sit similitudo omnium quiditatum simpliciter, impossibile tamen est quod sit similitudo huius quiditatis signatae; et per consequens non intelligit quiditates ut signantur et individuantur. Hanc autem rationem innuit Commentator in tractatu *De somno et vigilia*, ubi agit de veris somniis. Ibi namque dicit quod declaratum est in prima philosophia quod intellectus liberatus a materia intelligit naturas universales, et impossibile est quod det intentionem individualem omnino, cum non habeat naturam apprehendendi intentionem particularem. Formae enim universales non individuantur nisi propter materiam, et si intelligentiae abstractae comprehenderent individuum, tunc necessario essent materiales, et tunc non agerent nisi secundum contactum.

Praeterea, impossibile est attingi individuum signatum **/Vb 385ra/** aut aliquid incommunicabile in sua incommunicabilitate, nisi iudicio et apprehensione demonstrativa et designativa sub certo situ intentionali, ut declaratum est supra, dicendo videlicet 'albedinem istam' vel 'illam'. Omne enim quod non comprehenditur ut hoc demonstratum vel illud, necessario est communicabile. Sed manifestum est quod Deus, cum sit omnino immaterialis et tota natura subsistens, non potest habere demonstrativum iudicium et situativum, alioquin operatio sua esset materialis et habens modum quantitativum intentionaliter et haberet imaginationem, quod omnino absonum est. Ergo singularia signata intelligere non potest. Et hanc rationem innuit Commentator in III *De anima*, com. 32, cum ait quod intelligentia abstracta nihil intelligit ex eis qui sunt hoc.

Praeterea, quaecumque habent eandem similitudinem et eandem speciem repraesentativam, necessario intelliguntur ut unum; nec apprehenduntur in suis propriis rationibus per similitudinem aut speciem illam, sed individua, cum sint similia, non possunt habere nisi eandem speciem repraesentativam, in quantum species aut similitudo est. Nec potest appropriari, nisi in quantum linealis est aut pyramidalis in repraesentando, non quidem pyramidalis realiter, sed **/X 814b/** intentionaliter et in repraesentando, secundum hoc enim determinat sibi terminum proprium a quo derivata est realiter et ad quem intentionaliter terminatur. Nec aliter individua habent species distinctas, nisi sint per hunc modum materiales in repraesentando. Ergo impossibile est quod intellectus divinus per suam essentiam, cum non representet per hunc modum materialem, possit apprehendere naturam individuam et signatam.

Et confirmatur, quia visio secundum prospectum fit per hunc modum sub quadam intentionali pyramide, et hoc modo est de imaginatione et sensu interiori, et generaliter omnis sensatio fit per talem speciem appropriatam in repraesentando, quod deitati competere non potest. Hanc autem rationem innuit Commentator in III *De Anima*, com. 18, loquens de intellectu possibili, et dicens quod ex hoc apparet quod non est aliquid hoc, nec corpus nec virtus in corpore, quoniam si ita esset, tunc reciperet formas secundum quod sunt diversae et istae, et non distingueret naturam formarum secundum quod sunt formae, sicut est dispositio in formis individualibus, sive spiritualibus sive corporalibus.


© R. L. Friedman

**Impugnatio Thomae contra praedicta, lib. 1 *Contra gentiles*, cap. 65, et Riccardi et Scoti.** Praedictum autem errorem diversi diversimode visi sunt improbare.

Quidam enim arguunt sic: Deus cognoscit alia in quantum est eis causa. Sed est causa rerum prout sunt singulares, quia universalia non sunt res subsistentes. Deus igitur cognoscit res non solum in universali, sed etiam in singulari. Haec autem ratio nullius est efficacae secundum principia Philosophi et Commentatoris; concederent enim quod Deus est causa omnium rerum exemplaris, et ita cognoscit omnia in quantum est similitudo omnium et causa exemplaris, non in quantum efficiens, alioquin sua scientia esset discursiva, non enim in efficiente cognoscitur effectus intuitive, sed tantum in sua similitudine eminenti. Deitas autem non est, secundum istos, exemplar appropriatum singularibus, quia talis appropriatio fieri non potest nisi per modum linealis repraesentationis. Nam similitudo unde similitudo non determinatur ad aliquod singulare, cum omnia singularia similia sint.

Praeterea, arguunt sic: cognitis principiis in quibus constituitur essentia rei, necesse est rem illam cognosci. Sed materia designata et forma individuata sunt principia ex quibus constituitur singulare signatum. Dei autem cognitio usque ad materiam et formam et accidentia individuantia pertinget, cum **/Vb 385rb/** omnia sint virtualiter in divina essentia tamquam in prima origine essendi. Ergo Deus usque ad cognitionem singularium pertinget.

Sed haec ratio deficit ut praecedens, non enim continentur ista virtualiter in Deo, nisi quatenus est exemplar, quia Deus non est efficiens secundum opinionem istorum philosophorum; et dato quod esset, non cognoscit Deus res per hoc quod est efficiens, alioquin intelligeret discursive, **/X 815a/** sed pro eo quod est exemplar; exemplar est autem uniforme huius materiae et illius et huius formae et illius, et ideo non repraesentat ut hoc vel illud, sed tantum absolute secundum istos.

Et si dicatur quod saltem probatur, si efficit singulare, quod illud cognoscat, non valet quidem quod respondet Commentator in tractuatu *De somno et vigilia*, loquens de motore caeli, quod dat perfectiones universales, et materia recepit eas particulares. Unde non oportet quod agens intendat particulare signatum, sed solum vagum; non enim generans hominem praeintelligit illum signatum quem generat, sed intendit facere quendam, et similiter artifex qui facit ensem, non praeintelligit distincte et determinate ensem illum signatum quem fabricabit, sed quasi vage aliquem ensem. Individuum autem vagum sapit naturam universalis, quia communicabile est; tale autem a Deo intelligitur secundum Commentatorem. Ait enim in illo tractatu *De somno et vigilia* quod omnia individua, quae habent determinatum ordinem et determinatum esse, sunt intellecta apud formam abstractam. Unde dicit quod novit mores naturales aut mores positos a lege et omnia quae possunt habere regulam aliquam generalem. Et propter hoc, XII *Metaphysicae*, com. 35, dicit quod Deus est sollicitus de omni dispositione in qua communicant singularia, non autem de hoc in quo non communicant, scilicet de ipsorum signatione.

Praeterea, arguunt sic: natura generis non potest cognosci nisi eius differentiae primae et passiones cognoscantur. Sed universale et singulare sunt differentiae vel per se passiones entis. Deus autem cognoscit ens commune cognoscendo suam essentiam. Ergo omnia entia, et universalia et singularia, novit.

Sed nec ista ratio cogit, immo peccat per fallaciam aequivocationis, universale enim et singulare possunt accipi vel pro eo quod est universale et particulare vel pro intentionibus universalitatis et singularitatis. Novit igitur Deus intentionem universalitatis et singularitatis et intentionem individui vagi et signati. Et scit quod multi homines sunt signati, quia talis scientia universalis est et ita novit universalitatem et singularitatem et rationem individui signati, nec propter hoc oportet quod noverit individua in sua signatione, sicut geometria* potest scire quid est triangulus universalis et quid particularis, dato quod nullum signate cognoscat, esse enim individuum signatum est aliquid communicabile, cum multa sint individua signata.

Praeterea, arguunt sic: in Deo inveniuntur omnes perfectiones essendi, sicut in prima essendi origine; ergo oportet quod in eius cognitione inveniatur omnis cognitionis perfectio, sicut in primo cognitionis fonte. Sed perfectio aliquorum cognoscentium in singularium notitia consistit, utpote animalium. Ergo impossibile est Deum singularium notitiam non habere.


© R. L. Friedman

Sed nec ratio ista concludit. Verum est enim quod perfectio quam importat cognitio singularium, quae est cognitio sensitiva, in Deo est; nec tamen formaliter sed eminenter, alioquin actus sentiendi et imaginandi essent in Deo. Sic igitur non oportet ex vi rationis istius quod singularia cognoscat, **/X 815b/** sed quod eminenter habeat perfectionem illam quam apprehensio singularium, quae est perfectio animalium, importat. Et per hoc intelligere potest sensationem et notitiam singularium, quae est in animalibus; non tamen propter hoc designabit hanc **/Vb 385va/** sensationem vel illam.

Praeterea, arguunt sic: in omnibus virtutibus ordinatis communiter invenitur quod virtus superior ad plura se extendit unica existens. Sed vis cognoscitiva in Deo est superior quam in homine. Ergo quicquid homo diversis viribus cognoscit, hoc Deus uno suo simplici intellectu considerat. Et per consequens quicquid intellectu, imaginatione, vel sensu homo cognoscit, Deus intelliget, et ita cognoscet singularia quae cadunt sub imaginatione et sensu.

Sed nec ratio ista convincit. Verum est enim quod omnia quae potest homo diversis virtutibus, potest Deus una virtute simplici, nisi repugnantiam ad divinam perfectionem includat. Nunc autem cognitio singularium signatorum, cum sit materialis secundum lineas et pyramides intentionales (nec aliter possit cognosci ut demonstratum et signatum aliquod singulare), manifeste repugnat divinae perfectioni, quae est essentia immaterialis simpliciter et abstracta.

Praeterea, arguunt sic: Deus habet scientiam practicam et perfectam de rebus. Sed scientia practica non est perfecta nisi ad singularia perveniat in quibus est operatio. Igitur id quod prius.

Sed ista ratio assumit quod philosophi isti negant, scilicet quod Deus aliter sit causa rerum nisi quatenus est exemplar. Intelligentia enim movens orbem apprehendit primum principium, qui Deus est, ut exemplar omnis formae specificae, ad quam explicandam in materia movet caelum. Nec oportet quod illam formam in sua singularitate cognoscat in Deo quam explicat in materia. Unde nec verum est quod assumitur, scilicet quod scientia practica pertingat ad singulare signatum, immo non attingit, nisi ad individuum vagum, non enim scriptor intelligit per suam artem omnia elementa in singulari signando quae scribet*, sed intendit facere quoddam A, signatio vero eius non erat praeintellecta, immo ex tunc acquirit eius notitiam demonstrativam et signatam. Secundum hoc ergo intelligentiae separatae moventes orbes, intelligendo primum principium, simul intelligunt naturas specificas omnium rerum, utpote hominem vel leonem; et intelligunt quod natura hominis potest plurificari, ut sint multi homines quidam; et intelligunt quod movendo orbem quosdam homines generant, qui etiam sunt signati et diversimode movent, ut diversa signata generent; nec propter hoc aliquod individuum signatum, demonstrando hunc hominem vel illum, cognoscunt, quia tota earum cognitio ad aliquid communicabile terminatur; et tamen patet quod ista cognitio sufficit ad hoc quod per motum suum sint causae productivae singularium signatorum.

Praeterea, arguunt sic: motor alicuius corporis necesse est ut mobile in singulari cognoscat. Sed Deus est motor caelestis corporis, vel saltem intelligentia separata est motor ipsius. Ergo intelligentia separata cognoscit aliquod singulare signatum, et qua ratione potest illud cognoscere, **/X 816a/** pari ratione potest et alia. Igitur Deus singularia cognoscit prout sunt hic et nunc, nam aliter corpus non movetur secundum locum.

Sed nec ista ratio cogit. Nam sufficit quod motor alicuius corporis cognoscat se movere aliquod corpus, nec oportet quod apprehendat hoc corpus, ipsum designando et demonstrando, alioquin animal dum se moveret, semper imaginaretur corpus proprium, et homo se movendo continue cognosceret corpus suum ut aliquod hoc demonstratum, quod tamen non experimur. Unde patet quod non est necessarium ad actualem motionem corporis quod signate **/Vb 385vb/** et demonstrando cognoscitur.

Praeterea, arguunt sic: forma superior potest agendo producere suam similitudinem in gradum inferiorem; forma tamen inferior non potest suam similitudinem producere in gradum superiorem, cum agens sit nobilius patiente, nec possit agere aliquid altius se. Sed similitudo formae intellectus divini, quae deitas est, superior est et eminentior omni re; forma vero singularis in materia existentis, inferior est intellectu. Igitur licet forma singularis possit suam similitudinem producere usque ad vires quae organis materialibus utuntur, non tamen potest


© R. L. Friedman

usque ad intellectum, quia obtineret omnimodam immaterialitatem, sed per virtutem intellectus agentis in quantum omnino condicionibus materiae exuitur. Sic autem non habet rationem similitudinis singularis, et per consequens intellectus humanus singulare intelligere non potest; e contra vero forma intellectus divini potest pertingere usque ad minima rerum, suam similitudinem imprimendo, quia usque ad ipsa intima causalitas sua pertingit. Igitur intellectus divinus intelligit singularia in sui singularitate.

Sed ratio ista tollit se ipsam, propter hoc enim similitudo singularis usque ad intellectum non pertingit, quia per actionem intellectus agentis a condicionibus materialibus separatur; similitudo autem immaterialis et separata non repraesentat singulare, alioquin si possit repraesentare, non tollit actio intellectus agentis quin similitudo singularis perduci possit usque ad possibilem intellectum; quod tamen ratio ista fingit. Sic igitur immaterialitas est causa quod aliqua similitudo non representet singulare. Sed similitudo intellectus divini, quae est deitas ipsa, est summe a condicionibus materiae liberata. Igitur singulare repraesentare non potest.

Et iterum, dato quod similitudo deitatis usque ad minima et singularia pertingat, ipsa tamen in quantum huiusmodi habet eandem similitudinem, cum similia sint; et per consequens per illam ut distincta cognosci non possunt, sed ut similia tantum in specifica ratione.

Praeterea, arguunt sic: Philosophus in III *Metaphysicae* inducit Empedoclem ad istud inconveniens quod Deus erit insipientissimus. Sed istud sequitur, si singularia non cognoscit quae homines etiam cognoscunt. Igitur illa cognoscit.

Sed nec ratio ista valet quia signatio veritatum, dum tamen usque ad species athomas deducantur, non addit novam scibilitatem ut supra dicebatur, et ideo signationem huiusmodi ignorare insipientiam non inducit. **/X 816b/**

Praeterea, arguunt alii sic: Deus singularibus hominibus providet pro actibus singularibus, aliquis praemiando et aliquos condemnando, sicut iustus iudex. Sed iustus iudex non iudicat nisi de his quae cognoscit. Igitur Deus singulares homines et eorum singulares actus cognoscit.

Sed haec ratio procedit ex creditis et non ex naturaliter notis, unde primam propositionem Commentator negaret.

Praeterea, alii arguunt sic: intellectus divinus cognoscit quicquid est cognoscibile intellective. Sed singulare, cum sit quoddam contentum sub ente, est cognoscibile intellective. Igitur divinus intellectus illud apprehendit. Sed ista ratio deficit, petens principium in minori.

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur. Et omnino inconcusse tenendum est quod Deus singularia signata et demonstrata cognoscit, utpote hominem hunc vel illum, modus autem per quem est in sequenti articulo declarandus, ubi etiam respondendum est ad rationes Commentatoris, nam illae non aliud petunt quam modum, et ideo sufficit hic quod sic est probare.

Quod igitur Deus non ignoret singularia demonstrata et ut demonstrata **/Vb 386ra/** sunt, scilicet istum et illum, apparet, perfectior est enim notitia quae attingit ad rem prout res est quam quae pertingit ad illam sub modo quo non est. Sed manifestum est quod res universalis non est nisi in singularibus et per singularia, ut Philosophus dicit VII *Metaphysicae* contra Platonem. Ait enim quod quicquid est, non est nisi per esse individuorum; ubi dicit Commentator, com. 20, quod quiditates rerum non sunt entes nisi per esse rerum singularium quarum sunt quiditates. Unde cum quiditates specificae non sint in rerum natura secundum suam communitatem, sed solummodo ut individuate et signate sunt, manifeste patet quod scientia quae attingit ad quiditates non attingit ad res prout sunt, sed sub alio modo quem in essendo non habent[14]. Notitia vero individui demonstrati attingit ad rem prout est. Ergo nobilius est cognoscere rem individuatam et demonstratam quam eam cognoscere per modum abstractum et universalem. Igitur Deo, cui nulla deest nobilitas huiusmodi, notitia denegari non debet.

Et si dicatur quod notitia sensitiva secundum hoc erit nobilior quam intellectiva, dicendum quod non quoad modum, quia non solum sensus cognoscit demonstratum, immo materialiter et demonstrative seu designative. Sed si in intellectu ponatur utraque notitia immaterialis, nobilior

[14] habent] habet Vb


© R. L. Friedman

erit illa qua cognoscit demonstratum, non demonstrando, quam illa qua cognoscit rem in universali.

Praeterea, et est confirmatio praecedentis: scientia trahit nobilitatem ex obiecto, unde nobilior est una alia, quia de meliori et nobiliori[15] subiecto est, ut dicitur III *De anima*. Sed manifestum est quod individuum demonstratum, est quid nobilius quam quiditas universaliter accepta, non quidem quod res sit nobilior res, cum sit eadem res, sed est nobilior quoad modum essendi. **/X 817a/** Quiditas enim, ut sic, non habet esse nisi diminutum et rationis; res vero prout demonstrata, habet esse reale et principale. Unde Philosophus dicit quod prima substantia est magis substantia quam secunda et principalior, ut patet in *Praedicamentis*; et VII *Metaphysicae* dicit contra Platonem quod prima substantia non est possibile quod sit ex non substantiis, nec ex illo quod non est hoc demonstratum, sed ex qualitate, arguens contra Platonem quod ex universalibus non constituatur particulare, ubi innuit quod universalia sunt non substantia, sed magis qualia, quia quale quid significant; et in I *De anima* dicit quod animal universale aut nihil est aut posterius est. Ex quibus patet quod singularia demonstrata digniora sunt et principaliora, priora ac nobiliora quam quiditates, supposito quod non sint subsistentes, sed habeant esse per singularia. Ergo nobilior et perfectior est notitia qua scitur quiditas aliqua ut signata et demonstrata quam quae cognoscitur universalis et abstracta.

Praeterea, communis animi conceptio omnium populorum non caret veritate, quia fama quam populus famat non perditur, ut dicitur VII *Ethicorum*. Unde tales conceptiones videntur esse naturaliter inditae, cum in eis omnes conveniant, et ex talibus conceptionibus ab omnibus concessis frequenter Aristoteles procedat. Sed communis animi conceptio omnium populorum videtur esse quod Deus cuncta cognoscat, non solum secundum specificas quiditates, immo in singulari signato. Unde nomen Dei impositum est a cuncta videndo, ut Damascenus dicit libro I, cap. 12, ait enim quod nomen Theos, id est Deus, dicitur a theaste, quod est considerare omnia; nulla enim eum latent, immo est omnium contemplator. Et hinc est quod omnes populi timent cum faciunt iniustitiam, existimantes quod sit aliquod iustum vindicans, scilicet Deus, qui omnia videat et discernat. Ergo per quascumque difficiles rationes in oppositum occurrentes, istud negari non debet. Est enim considerandum quod haec communis animi conceptio ortum **/Vb 386rb/** habet a duabus propositionibus, quae videntur cuilibet per se notae. Prima quidem nulla nobilitas aut nobilis condicio est neganda Deo. Secunda vero quod cognoscere omnia non solum in universali, immo in singulari, contemplando omnia entia signata et demonstrata et omnes actus humanos, ita ut nihil possit latere, est magnae dignitatis et condicio nobilissima et appetibilis ab omnibus, quia omnes homines natura scire desiderant. Et iterum, quia cognitio quanto distinctior, tanto nobilior; et rursum, quia magnae videtur ignobilitatis residere in cognitione universali et non posse sumere nec posse differentiam assignare inter universale et singulare demonstratum, adhuc etiam notitia individui demonstrati videtur esse quasi exemplum et quoddam verbi gratia notitiae universalis, et per consequens illam declarare et explicare tamquam clarior et magis certificans cognoscentem.

Ex quibus omnibus patet quod per se notum est hoc esse magnae nobilitatis, si ponatur in Deo. Et ita concluditur quod omnino hoc sit ponendum in Deo in tantum quod contraria sententia tamquam derisoria reprobatur Iob 22, ubi dicitur, et **/X 817b/** quasi dirigitur verbum Commentatoris an cogitas et dicis: "Quid enim novit Dominus et quasi per caliginem iudicat nubes latibulum eius, nec nostra considerat et circa cardines caeli perambulat." Et subdit: "Quasi nihil possit facere omnipotens, existimabant eum, quorum sententia procul sit a me."

In hoc ergo secundus articulus terminetur.

## Articulus Tertius

**Quis sit modus possibilis secundum quem Deus possit intelligere singularia ut incommunicabilia sunt et signata. Opinio Thomae, parte 1, q. 14, art. 11, et in *Scripto* I.**

Circa tertium vero considerandum quod aliqui, modum investigantes per quem Deus possit intelligere singularia, dixerunt quod hoc est quia Deus est causa rerum, non solum secundum

[15] nobiliori *mg.* Vb


© R. L. Friedman

formam, immo et secundum materiam per quam forma individuatur. Et idcirco essentia sua est similitudo rerum et sufficiens principium cognoscendi omnia, non solum in universali, sed etiam in singularia. Et esset simile de scientia artificis, si esset productiva totius domus quoad materiam et formam, quia per formam[16] artis cognosceret hanc domum vel illam, sed quia per artem suam non inducit nisi formam, ideo ars sua est similitudo formae domus tantum. Unde non potest per eam cognoscere hanc domum vel illam, nisi per aliquid acceptum a sensu.

Sed hic modus dicendi non tollit difficultatem, quamvis enim ex Dei activitate possit a priori probari quod deitas similitudo sit et exemplar, non solum quoad formam, immo quoad materiam (materia vero, etiam secundum eos, non est principium individuationis nisi in quantum est individuata, est autem hoc commune omnibus individuis eiusdem speciei, scilicet quod quilibet componitur ex hac materia et hac forma), et per consequens Deus habet similitudinem omnium individuorum quoad materiam et quoad formam, non tamen per hoc probatur quod divina essentia representet individua ut signata sunt et distincta, sed potius prout conveniunt in natura specifica quae componitur ex materia et forma aut in ratione individui vagi in quantum quodlibet est aliquod hoc, compositum ex aliqua hac materia et ex hac aliqua forma. Quandocumque enim sic sunt similia quod nihil est in uno quod non reperiatur simile in alio, impossibile est quod aliquid sit similitudo unius quin sit similitudo alterius, et per consequens non ducit distincte, nec in unum nec in aliud, sed in ambo sub ratione unius et indistincti; et ita ducit in aliquid commune ad illa. Sed sic est de individuis eiusdem speciei quod similia sunt, quia sicut unum habet materiam et formam, ita et reliquum et quodlibet habet eam signatam, nec aliquid est dissimile in **/Vb 386va/** uno ad id quod reperitur in alio, non enim esse hoc et illud ponit dissimilitudinem aliquam, cum aliud similiter sit hoc. Ergo impossibile est quod deitas sit similitudo, ducens sufficienter in cognitionem individuorum in quantum distincta et signata sunt; et **/X 818a/** universaliter non est verum quod aliqua similitudo ducat in aliqua ut distincta, nisi illa sint aliqualiter dissimilia.

**Quid dicendum secundum veritatem, et primo in generali qualiter individuum ut signatum sit cognoscibile.** Restat igitur nunc in hac abyssali difficultate dicere quod occurrit sub triplici propositione.

Prima quidem qualiter individuum signatum prout est incommunicabile cognoscibile sit; ubi considerandum quod si individuum habeat in sui realitate aliquid proprium, cui non possit simile reperiri, ita quod individua in aliquo sint dissimilia, tunc nulla est difficultas quomodo unum distincte possit cognosci, alio non cognito. Cum enim cognoscere aliquid sit ipsum distinguere ab alio quocumque, unde virtus cognoscitiva appelatur vis distinctiva in III *De anima*, omne autem quod habet aliquid in se cui non reperitur simile in aliquo alio, possit per illud[17] ab alio quocumque distingui, necesse est ut omne tale possit distincte cognosci, cuius ratio est quia tale potest habere propriam similitudinem quae non competet alteri, ex quo dissimile est in aliquo a quocumque. Et propter hoc, si individuum addat formalitatem propriam supra rationem specificam, ita quod quodlibet individuum habeat propriam rationem hypostaticam, cui non possit similis in alio <quocumque> reperiri – quod tamen impossibile est, quia omnis ratio et omnis formalitas communicabilis est, et omni hypostaticae rationi potest similis hypostatica ratio reperiri, licet non eadem, quia sicut in hac hypostasi est haec hypostatica ratio, sic in alia est altera ratio haec hypostatica; alia quidem, sed similis. Unde si ratio hypostatica facit dissimilitudinem formalem quid est, et per consequens similis sibi reperibilis est. Adhuc si individuum haberet materiam et aliud individuum non haberet vel si haberet hanc materiam, et aliud hanc materiam non haberet, vel si haberet hanc quiditatem et hunc situm, et aliud simile non haberet – quod tamen falsum est. Adhuc si haberet formam specificam in tali gradu et aliud non haberet in gradu simili aut non possibile esset aliud individuum fieri in consimili gradu – quod tamen falsum est, cum duo alba possint reperiri in eodem gradu et duae lineae penitus in eadem quantitate. Si utique quae dicta sunt taliter se haberent, nulla esset difficultas in cognoscibilitate singularium distinctorum, in quantum enim

[16] quia per formam *mg*. Vb
[17] illud] aliud Vb


© R. L. Friedman

essent in aliquo istorum dissimilia, in tantum possent habere distinctas similitudines et species repraesentantes apud potentiam cognitivam. Sed quia ista impossibilia sunt – ut in secundo apparebit, dum agetur de individuatione – idcirco remanet difficultas.

Ulterius ergo considerandum quod in substantiis abstractis, utpote in animabus et angelis, ubi non sunt individua signata, sed singularia abstracta, multa quidem sub una specie quod de animabus negari non potest, ibi est impossibile quod singularia apud aliquam cognitivam potentiam distinguerentur, si ratio specifica salvaretur in eis **/X 818b/** in eodem gradu. Nihil enim esset simile in uno quin simile reperiretur in alio, quia nec ratio specifica nec gradus alius nec etiam signabilitas, quia non est in eis situs nec possunt demonstrari, cum omnis demonstratio per necessitatem situm includat, ut supra dictum est. Unde necesse est, cum omne distinctum ens distincte possit cognosci, quod singularia ista sub alio et alio gradu participent specificam rationem sic quod non possint plura reperiri in eodem gradu, immo quodlibet singulare sit ratio specifica totaliter **/Vb 386vb/** subsistens in tali gradu, sic quod sit totus ille gradus subsistens adequans omnia signata, si essent possibilia fieri in illo gradu; sicut si poneretur aliquis gradus albedinis totaliter subsistere simpliciter et alius gradus similiter, tunc enim plures albedines essent eiusdem speciei, nec essent albedines istae signatae, sed quaelibet esset, non* quidem tota albedo simpliciter, sed albedo tota in tali gradu. Secundum hoc ergo multiplicantur animae infra eandem speciem non quod sint individua signata, utpote anima ista vel illa, immo quaelibet est quoddam totale subsistens in suo gradu simpliciter absque omni signatione; et propter hoc recipiunt formas simpliciter et species quae non sunt iste vel ille, sed repraesentant naturas simpliciter et universales. Et idem oportet ponere de intelligentiis separatis, si fuerint plures eiusdem speciei, aliter enim non est possibile quod plurificentur nisi per istum modum. Immo si ponerentur eiusdem rationis et in eodem gradu, nulla potentia cognitiva posset distinguere aut discernere inter illa; sed ex quo sunt in dissimilibus gradibus, possunt habere distinctas similitudines apud potentiam cognitivam. Impossibile est autem esse entia plura distincta quin aliqua cognoscitiva potentia possit ea discernere, quia sicut se habet res ad esse, sic ad cognosci.

Ulterius vero considerandum est quod in speciebus corporeis substantiarum et accidentium in quibus reperibilia sunt individua signata, ut haec albedo et hic lapis, dici non potest quod quodlibet individuum sit totus unus gradus illius speciei subsistens, alioquin non possent duae albedines reperiri in eodem gradu aut duo calores nec duo lapides pretiosi, cuius oppositum experimur. Cuius ratio est quia omne quantum pars est et in partes divisibile, potest enim omnis lapis, quantum est ex se, alteri continuari, et omnis albedo omni albedini; et rursus dato lapide in aliquo gradu, ille divisibilis est in duos quorum quilibet retinebit formam lapidis in eodem gradu. Et per consequens possibiles sunt duo lapides in eodem gradu; et qua ratione duo et infiniti.

Unde manifestum est quod dato aliquo individuo corporeae naturae, sive substantialis sive accidentalis, in aliquo uno gradu, cum forma illa extensa sit et habens partes uniformes, statim partes illae formam ipsam participant in eodem gradu, et ita si dividantur, erunt plura individua in eodem gradu. Impossibile est igitur quod aliquod individuum corporeum et extensum sit totus unus gradus alicuius speciei subsistens. Relinquitur ergo quod sit pars signata illius gradus, ex quo totus non est. Unde si dentur duo individua similia in gradu specifico, etiam in omni alio, cum in nullo dissimilia sint – utpote duae **/X 819a/** lineae aut duae albedines – impossibile est quod habeant distinctas similitudines apud potentiam cognitivam in quantum similitudines sunt, sed in quantum demonstrative et oppositive illorum individuorum sunt. Quaelibet enim similitudo repraesentat omnia individua, cum sit similia, nisi approprietur uni per aliquam correspondentiam situalem. Et hinc est quod nulla species, nisi hoc modo repraesentans, potest directe ducere in individuum signatum, sed si tales dentur, ducent* potentiam cognitivam in individua ut similia, et tamen cum* hoc non eadem, sed alia. Et per consequens potentia cognitiva apprehendet similia fore huiusmodi individua, et tamen non eadem, sed distincta; hoc autem non est aliud quam individuare vel signare.

Sic igitur patet quomodo cognoscibile sit individuum signatum quod nullo modo est alteri dissimile, cum sint partes **/Vb 387ra/** eiusdem gradus specifici* quantitative distincti. Talia


© R. L. Friedman

quidem non distinguuntur per similitudinem aliquam, sed per similitudines appropriatas ex situali oppositione facta secundum repraesentationem. Nam situaliter tantum unum uni opponitur, cum inter duo puncta tantum una recta linea, et realiter et imaginarie, duci possit. Quapropter duae species, quae quantum est ex se et ratione similitudinis ducerent in idem, ratione tamen situalis oppositionis ducunt in aliud. Haec autem repraesentativa oppositio non est aliud quam demonstratio rei in situ incommunicabili, nec repraesentative opponere est aliud quam rem illam signare et demonstrare, et per consequens incommunicabilem reddere. Unde manifestum est quod nulla res potest ut incommunicabilis apprehendi, nisi altero duorum modorum, aut scilicet quia apprehenditur ut quoddam simpliciter et totale, tale enim plurificari non potest, utpote si concipiatur tota una natura subsistere sicut calor simpliciter vel totus unus gradus caloris; aut quia apprehenditur per modum partis simillimae* alteri parti, tale enim non apprehenditur aliud quia dissimile, sed quia cognoscendo situative opponitur et demonstratur. Talis enim oppositio linearis et demonstratio appropriat apprehensionem cognito et cognitum apprehensioni, quia inter duo puncta non cadit nisi una linea; nec eadem linea potest esse inter unum punctum et alia duo puncta. Propter quod, si repraesentatio linearis est, et apprehensio necessario terminabitur ad unum distinctum quamvis simillimum, et ita apprehendetur simillimum ut distinctum. Est autem sic quod talis demonstratio et oppositio situalis non potest poni nisi in potentia materiali et quanta, et per consequens non nisi in imaginatione et sensu, ut superius dicebatur; et ideo nullum individuum quantum est cognoscibile per se et immediate, nisi a sensu. Individuum vero abstractum quod non habet rationem partis in ordine ad gradum, sed est totus unus gradus subsistens, immediate cognosci potest ab intellectu, habet enim unde distinguatur ab alio absque hoc quod demonstretur aut linealiter opponatur per apprehensionem.

Huic tamen obviare videntur rationes quatuor quibus supra, art. primo, propositione 3, probabatur quod individuum signatum abstractive posset **/X 819b/** cognosci absque hoc quod demonstraretur ut istud vel illud, vel lineariter opponeretur aut situaretur. Non obviat autem, quia quod hic dictum est, referri debet ad cognitionem immediatam individui signati, talis enim per necessitatem est demonstrativa, et situaliter opponens individuum potentiae cognitivae, quia ex nullo alio appropriari* potest apprehensio magis illi individuo quam alteri eiusdem speciei, cum similia sint. Et per consequens ut unum apprehensibilia nec aliter discerni possibilia, nisi quatenus istud est hoc et aliud istud. Quod vero superius dicebatur, referendum est ad cognitionem mediatam, nam mediante huiusmodi demonstrativa apprehensione potest aliqua immaterialis cognitio, nec designativa, apprehendere singulare signatum; unde non demonstrabit dicendo istud vel illud, sed demonstratum per aliam apprehensionem aut demonstrabile ut istud vel illud non demonstrando, sed simpliciter et abstracte cognoscet.

Nec rationes procedunt, si ad illum intellectum trahantur.

Prima siquidem non, licet enim Sortes et Plato certa sint individua et distincta in se, quia tamen apprehensio fit per aliquam assimilationem, ipsa vero in se similia sunt, necessario facient assimilationem eandem et apprehensionem, nisi tantum demonstrativam quae per modum lineae cadit inter Sortem et potentiam cognitivam, et similiter inter Platonem et eandem potentiam. Tales enim apprehensiones **/Vb 387rb/** necessario erunt distinctae quia cadunt inter tres terminos situatos, scilicet inter potentiam et Platonem ac Sortem; quod si tolleretur situalitas et intentionalis linea ab huiusmodi apprehensione, necessario esset eadem quia terminaretur ad simillima, nec numeraret ea.

Quod ergo dicitur quod sicut se habet res ad esse, sic ad cognosci, intelligendum est obiective, non tamen modaliter. Licet enim individua certa sint et distincta in se, nec distinguantur per situalem oppositionem aut demonstrationem, nihilominus nulla potentia attingere illa potest immediate ut distincta[18], nisi per apprehensionem demonstrativam, habentem modum lineae situalis inter duos terminos existentis. Talia namque non habent quod distincte apprehendantur ex parte sui obiective, cum nihil sit in uno cuius simile non sit in alio; nec ex parte potentiae[19] cum[20] eadem sit; nec ex parte assimilationis potentiae ad illa, cum sit

[18] distincta] potest *add.* Vb
[19] potentiae] ad ista *del.* Vb
[20] cum *mg.* Vb


© R. L. Friedman

eadem similitudo similiorum. Oportet ergo quod oriatur ex aliquo intercidente inter assimilativam potentiam et obiectum. Illud autem non potest esse realis aliqua linea. Ergo est necessario intentionalis modus, scilicet repraesentandi et apprehendendi sub quadam linea situali et statuendi individua in sitibus diversis.

Nec procedit etiam secunda aliter intellecta. Verum est enim quod demonstratio importata per pronomina demonstrativa 'iste' vel 'ille' non inest individuo in ordine ad cognoscentem et demonstrantem, et ideo cum modus cognoscendi separari non possit ab immediata cognitione, propositum confirmatur.

Et per idem patet intellectus* aliarum rationum. **/X 820a/**

**Quomodo specialiter Deus cognoscat individua signata et ut signata sunt.** Secunda vero propositio est per quem modum Deus cognoscat singularia ut signata, nam de singularibus totalibus et abstractis – quorum quodlibet est unus totalis* gradus infra speciem, non partialiter, sed totaliter subsistens, cuiusmodi sunt plures animae numeraliter differentes – de istis utique manifestum est, cum deitas sit similitudo eminens et exemplar, non solum quiditatum absolute, immo et quiditatum sub certis gradibus, quod divinus intellectus, apprehendendo deitatem, dicitur aequipollenter vel potius eminenter illa apprehendisse. Sed de signatis individuis, quibus non appropriatur similitudo aliqua representans unde similitudo, sed unde linealiter et situaliter repraesentat, magis difficile est, cum deitas sit similitudo simpliciter, nullo modo materialis aut situalis in repraesentando, alioquin iam non esset abstracta.

Est ergo considerandum quod deitas non potest immediate esse similitudo appropriata cuilibet individuo signate et indistincte, potest tamen mediate.

Et primum quidem apparet quia nulla similitudo appropriatur alicui alio non repraesentato, nisi in quantum illa in aliquo sunt dissimilia aut nisi illa ex modo repraesentandi situali et oppositivo approprietur, ut ex superioribus patet. Sed manifestum est quod individua signata similia sunt, quia in nullo gradu est dare aliquod individuum quin in eodem gradu infinita sint possibilia, loquendo de individuis corporeis et quantis. Et rursum manifestum est quod divina essentia non potest appropriari individuis per modum situalis repraesentationis, quasi illa sibi opponat in situ, cum abstrahat ab omni situ, nec individua opponi sibi possint in situ. Igitur impossibile est quod deitas sit similitudo appropriata immediate cuilibet singulari signato in quantum signatum est.

Et si dicatur quod forsitan potest appropriari per oppositionem obiectivam, quia dicimus quod obiectum[21] opponitur potentiae – unde et actus **/Vb 387va/** intellectus transit et terminatur in obiectum absque omni situali linea aut modo materiali, iste autem transitus appropriat sibi terminum et ita videtur quod similitudo possit appropriari ex tali transitu immateriali – si utique sic dicatur, non valet, quia talis transitus obiectivus abstrahit ab hic vel ibi, ab hoc et illo, et ab omni spatio intentionaliter interiacente. Et ideo terminatur ad aliquid simpliciter quod ex natura sua habet formalem dissimilitudinem ad aliud quodcumque, propter quod potest fieri appropriatio speciei aut similitudinis praesentantis. Sed si illud in quod transit habeat rationem partis et sit simillimum alteri, nullo modo per talem transitum distinguetur, nisi quatenus ille transitus ponet rem illam ad unam partem et alius transitus rem aliam ad aliam partem. Hoc autem est situare et demonstrare.

Apparet quoque secundum, deitas namque est similitudo propria et exemplar appropriatum rei cuilibet quae habet aliquid, unde dissimilis sit omni alteri rei. Ratione enim illius in quo aliis est dissimilis, potest habere similitudinem **/X 820b/** propriam adaequatam; deitas autem est similitudo eminens et ita appropriata cuilibet rei, quae posset habere similitudinem propriam adaequatam. Sed manifestum est quod individuum signatum, sumptum cum actuali demonstratione qua designatur, vel etiam cum aptitudinali, est dissimile omni alteri et habet unde ab omni alio distinguatur. Istud enim totale, videlicet hic lapis, quod lapidem certum et distinctum includit, et cum hoc significatum pronominis demonstrativi quod non est aliud quam actus animae demonstrantis – non enim demonstrat nisi apprehendens, nec est demonstratio aliud quam apprehensio situalis nec demonstratum est aliud quam taliter apprehensum, et istud

[21] obiectum] *om.* Vb


© R. L. Friedman

important pronomina, cum dicitur ‘iste’ vel ‘ille’ – istud inquam totale, hic lapis vel ille homo, in quantum huiusmodi, dissimile est omni alteri. Non enim significatum istud potest plurificari, nec possunt plures reperiri quorum quilibet sit hic lapis. Ergo istud totale potest habere similitudinem propriam, et per consequens deitas est similitudo appropriata omnium individuorum signatorum, non quidem immediate, quasi demonstret ea et signet, sed mediate, quoniam mediante demonstratione. In quantum enim repraesentat non solum lapidem certum et distinctum in se, sed cum demonstrabilitate aut demonstratione[22] ipsius lapidis quam importat ‘hic lapis’, in tantum divinus intellectus intelligit hunc lapidem vel illum signatum.

Huic tamen multa repugnare videntur, illud enim quod repraesentat immediate hunc lapidem repraesentat immediate individuum signatum. Sed dictum est statim quod deitas repraesentat immediate hunc lapidem. Ergo immediate repraesentat individuum signatum, cuius oppositum intenditur in hoc loco, unde quae dicta sunt, videntur contradictoria implicare.

Praeterea, illud non est dissimile sub illa ratione ab omni alio in qua potest sibi aliud simile reperiri. Sed isti lapidi, in esse istum lapidem, potest aliquid sibi simile reperiri, quia unus alius lapis potest dici similiter iste lapis vel ille. Ergo iste lapis, in quantum huiusmodi, non potest habere similitudinem propriam quae non sit similitudo alterius.

Praeterea, si iste lapis posset habere similitudinem propriam, posset illam imprimere in sensum. Sed supra dictum est quod nulla similitudo in quantum similitudo, appropriatur individuo signato. Igitur contradictio est in dicto.

Praeterea, si iste lapis, in quantum huiusmodi, posset habere similitudinem **/Vb 387vb/** propriam quae per rationem suam distingueretur ab omni alia et non per linearem repraesentationem, sequeretur quod talis recipi posset in intellectu, esset enim immaterialis; ex quo esset appropriata in quantum similitudo, non in quantum lineariter repraesentans, et per consequens intellectus per se et immediate et sine imaginatione cognosceret lapidem istum. Sed oppositum huius dictum est supra. Igitur id quod prius.

Praeterea, inconveniens est dicere quod deitas mediante actu causato imaginationis creatae aliquid representet et non immediate. Sed iste modus videtur hoc ponere. Igitur stare non potest.

Praeterea, actus ille quo individuum demonstratur **/X 821a/** ita est singularis, sicut et ipsum individuum, et per consequens totum constitutum individuum remanebit. Sed deitas immediate repraesentare non potest individuum, ut dictum est. Ergo nec illud totale immediate repraesentabit.

Sed istis non obstantibus dicendum est sicut prius, nec instantiae procedunt.

Prima siquidem non, quia ‘hic lapis’ non solum dicit individuum quod signatur et demonstratur, immo in quantum signatur, dicit enim constitutum ex actuali demonstratione et ex illo quod demonstratur. Non est ergo repugnantia in dicendo quod substratum non potest immediate per deitatem repraesentari, sed mediante demonstratione, et in ponendo quod constitutum ex utroque potest immediate repraesentari.

Non procedit quoque secunda, est enim considerandum quod sicut hoc nomen ‘Petrus’, cum dicitur de diversis, dicitur omnino aequivoce, et non secundum unam aliquam rationem secundum quam illi plures sic nominentur, ita ‘iste lapis’ totale hoc dicitur aequivoce de pluribus. Cum enim demonstrato lapide dicitur ‘iste lapis’, falsum est quod sub eodem significato aliquid aliud possit dici ‘iste lapis’, et ita patet quod significatum istius totalis, ‘iste lapis’, est omnino incommunicabile et inassimilabile. Unde quot sunt lapides, tot sunt significata huius orationis, ‘iste lapis’, et propter hoc possunt esse tot propriae similitudines illius totalis. Non est verum quod huic lapidi, in esse istum lapidem, aliquid aliud possit assimilari, quia nullum aliud potest esse iste lapis, sed dum praedicetur* de aliquo alio haec oratio, ‘iste lapis’, dicitur aequivoce et secundum aliam rationem et aliud significatum.

Nec obsistit etiam tertia, quia totale istud dicit aliquid constitutum ex actu animae et re extra, quia ex demonstratione et eo quod demonstratur, vel saltem ex aliquo derelicto ab actu animae. Importat enim constitutum ex demonstratione passiva et re quae demonstratur. Et propter hoc totum non potest imprimere similitudinem in sensum, alioquin esset sensus reflexivus. Res igitur quae demonstratur imprimit similitudinem in sensum secundum quam demonstratur. Unde

[22] demonstratione] demonstrationem Vb


© R. L. Friedman

lapis particularis imprimit similitudinem per quam sensus apprehendendo ipsum dicit ‘hunc lapidem’, non quod ‘hic lapis’ quantum ad id quod importat demonstratio* habeat similitudinem in sensu. Non enim tenet se ex parte obiecti, sed consequitur modum cognoscendi.

Non valet etiam quarta, verum est enim quod hoc totale importatum per ‘istum lapidem’, quod non est aliud quam aliquid constitutum ex re quae demonstratur et ex passiva demonstratione circa rem derelicta[23] ex activa demonstratione sensus apprehendentis; hoc utique totale potest habere similitudinem propriam in intellectu. Et ita individuum signatum potest immediate cognosci ab intellectu, nec propter hoc excluditur mediatio imaginationis aut sensus, immo necessario includitur obiective, cum constitutum includat rem et demonstrationem passivam seu sensationem passivam, de qua non est dubium **/Vb 388ra/** quod supponit apprehensionem activo modo dictam.

Non obviat quoque quinta, non est enim* inconveniens quod deitas per modum similitudinis eminentis repraesentet res, sicut aptae natae sunt, cum unumquodque sic fiat sicut aptum natum **/X 821b/** est fieri, sicut Philosophus dicit in II *Physicorum*. Constat autem quod impossibile est res simillimas habere proprias similitudines vel appropriatas, nisi per illum modum repraesentandi materialiter et situaliter, de quo dictum est saepe. Individua vero signata, quantum ad id quod sunt, similia sunt, et prima dissimilitudo reperibilis inter ipsa consurgit ex signatione et demonstratione animae sentientis. Ex hoc enim habent quod sint passive signata et demonstrata et quod dicantur ‘ista’ vel ‘illa’, et propter hoc possunt habere similitudines proprias. Et deitas potest ea, ut sic, repraesentare eminenter.

Est tamen sciendum quod ad cognoscendum individuum signatum, in quantum signatum, oportet apprehendere circa rem, non supersignationem passivam in actu, sufficit enim passiva signabilitas secundum aptitudinem. Sed tamen nec ista nec illa potest circa rem apprehendi, nisi apprehendendo actu vel aptitudine actum animae signantis et demonstrantis.

Non valet etiam ultima. Nam non repugnat individuo, in quantum individuum est, quod intelligatur aut habeat similitudinem propriam, sed sibi repugnat in quantum alteri omnino simile est. Ex hoc sequitur quod utriusque eadem sit similitudo. Quamvis ergo individuum signatum, in quantum signatum, individuum sit, tamen quia omni alteri dissimile est in quantum signatum est, utpote hic lapis vel ille, ideo secundum hoc potest habere similitudinem propriam et deitatem potest distincte exemplari.

Et si dicatur quod immo individua signata similia sunt, in quantum signata, nisi addatur, in quantum hac signata, utique hoc non valet. Licet enim ratio signationis abstrahibilis sit in communi, ratio tamen importata per ‘iste’ vel ‘ille’[24], quae exercent signationem, abstrahi non potest. Quod patet ex hoc quod adduntur signationi, dicendo ‘haec signatio’ vel ‘illa’, quod non esset, si ratio signationis esset abstracta ab eis, nam individuum non denominat speciem. Unde possunt considerari ut exercentia signationem, et a talibus non potest abstrahi communis ratio, ponunt enim circa lapidem vel hominem omnimodam incommunicabilitatem, impossibile est enim reperire plures, quorum quilibet sit ‘hic lapis’; vel possunt considerari ut rationes quiete, non exercentes signationem circa aliud, et sic potest ab eis abstractio fieri, utpote cum accipitur esse hoc et esse illud. Potest enim dici quod sunt signationes quaedam.

Sic igitur patet quomodo Deus potest cognoscere individuum corporeum et quantum, non enim potest nisi intelligendo illud* cum signatione, ut hunc lapidem vel illum florem. Cum signatione* autem quam intellectus suus exerceat, hoc facere non potest, alioquin divina essentia individua situaret, et sub certo situ repraesentaret, sub modo pyramidali et lineari, sicut species existentes in sensu et imaginatione, quod impossibile est[25] omnino. Intelligit ergo hunc lapidem et hunc florem, signatum signatione quam alius exercet, videlicet imaginatio vel sensus vel quae possibilis est exerceri, licet nullus actu exerceat. Cum enim omnis sensus et omnis sensatio, tam interior **/X 822a/** quam exterior, possibilis exempletur per divinam essentiam, quae est similitudo eminens omnium rerum, vel potius omnia eminenter, necesse est quod ipsa similitudo sit huius lapidis et illius, in quantum similitudo est lapidis particularis et signationis

[23] derelicta] derelictam Vb
[24] ille *mg*. Vb
[25] est *mg*. Vb


© R. L. Friedman

vel signabilitatis passivae, ita quod totum hoc coniunctum est immediate exemplatum* distincte, **/Vb 388rb/** nam sine signatione passiva distincte exemplari non potest. Praecedunt autem signationem aut signabilitatem passivam signationes activae omnium sensationum et imaginationum possibilium, quae etiam exemplantur, propter quod divinus intuitus ad essentiam terminatus attingit aequivalenter* et aequipollenter hunc lapidem et hunc florem et omne signatum individuum constitutum ex sua signatione seu demonstratione et ex substrato quod demonstratur. Et apparet quod, licet individuum substratum attingat mediante signatione vel signabilitate passiva, tamen immediate totum attingit quicquid se tenet ex parte individui. Nam activae signationes imaginationum vel sensuum, etsi coexigantur in repraesentatione individui, passive signabilis vel signati, non tamen mediant formaliter. Ex quo manifestum relinquitur quomodo Deus, intelligendo suam essentiam, non solum intelligit rerum omnium quiditates, immo signationes passivas earum in quolibet individuo, quamvis per intellectum suum illas non signet.

**Quod difficultates a Commentatore inductae praedictae non obviant veritati.** Tertia quoque propositio est quod difficultates a Commentatore inductae praedictae non obviant veritati.

Prima siquidem non, quia verum non est quod assumit, scilicet quod nullam perfectionem habeat notitia individuorum et singularium signatorum, ut supra patuit et apparet adhuc, tum quia notitia actualis et explicans aliquam perfectionem addit ad implicitam et virtualem. Dicitur enim I *Posteriorum* qui novit omnem triangulum habere tres vel omnem dualitatem parem esse, scit hunc triangulum signatum vel illum[26], quos tamen novit habere tres, et similiter dualitatem quamdam quam non opinatus esse, scit esse talem; scit quidem quodam modo, quia virtualiter et in potentia, et non scit alio modo, quia non in actu, nec explicite. Unde relinquitur quod haec notitia signatorum aliquem modum perfectionis inducat; tum quia Philosophus in I *Physicorum* quod innata est nobis via a communioribus ad propria, quia natura incipit ab imperfecto et procedit ad perfectum; ubi dicit Commentator, com. 5, quod in principio comprehensionis existimat omnem virum patrem et omnem mulierem matrem, et cum vigoratur intellectus infantis, cognoscit patrem inter ceteros viros et matrem inter ceteras mulieres. Ex quo patet quod cognitio singularium et signationes eorum est vigorosior et perfectior quam cognitio specierum. Licet ergo notitia individuorum non addat novam scibilitatem quantum ad scitum – quia scito universali, scitur et particulare, iuxta illud Philosophi I *Posteriorum*, dicentis quod quorumdam oportet simul accipere **/X 822b/** notitiam, ut eorum quae sub universalibus sunt, quorum habet* notitiam – tamen addit perfectiorem modum cognoscendi et ad primum aspexit Commentator. Sed quia non videbatur sibi possibilis iste modus cognoscendi, nisi in imaginatione vel sensu[27] – hoc autem repugnat Deo – idcirco secundum ista principia rationabiliter conclusit Deum singularium notitiam non habere.

Quod vero additur de vilitate quorumdam singularium signatorum, non cogit, pro eo quod in ordine ad cognitivam potentiam nullam turpitudinem habent, sed in quantum sunt apta nata in anima desiderativa suscitare varias passiones, utpote nauseam vel horrorem vel aliquid huiusmodi.

Non obviat quoque secunda, quia nulla infinitas ponitur in actu, ex hoc quod singularia simplici intuitu cognoscuntur a Deo, non enim ponitur aliqua multitudo in divino intellectu, etiam obiective, sed tantum simplex divina essentia, ut superius dicebatur. Tota autem repugnantia infinitatis ad scientiam oritur ex hoc quia clauderetur et terminaretur in actu et poneretur in facto esse. Unde patet quod impossibile esset hanc rationem evadere, si vera esset **/Vb 388va/** imaginatio communis, videlicet quod in divino prospectu reluceant creaturae tamquam obiecta secundaria; tunc enim multitudo infinitorum singularium poneretur in actu in divino prospectu et demonstrative procederet argumentum.

Nituntur enim aliqui solvere, dicentes quod non est inconveniens infinita intelligere per unam similitudinem. Sed hoc nihil est dictu, quia quantumcumque similitudo sit unica, si

[26] illum *mg.* Vb
[27] sensu *mg.* Vb


© R. L. Friedman

infinita ponantur obiective praesentia, distincta, et in actu, ponetur* infinitum in facto esse et in actu; quod est omnino impossibile. Et propter ea dicendum est quod nihil est in divino prospectu, nec in eius praesentia, nisi Verbum seu divina essentia posita in tali esse, qua quidem posita omnia dicuntur cognita eminenter. Et secundum hoc infinitas rerum existentium in facto dicitur cognita denominative et aequipollenter, cognita deitate, quae est actu similitudo omnium existentium, tam in actu quam in potentia. Non enim sequitur quod, si sit similitudo aliquorum in actu, quod illa sit in actu.

Nec obsistit etiam tertia, quia non probat nisi quod deitas non potest repraesentare signatum exercendo signationem ipsius, opponendo videlicet situaliter sibi ipsi singulare, signatum istud enim esset repraesentare formas ut istas.

Et si dicatur quod etiam species signati individui debet esse quid signatum, siquidem non est verum, immo potest esse quoddam totale et natura simpliciter. Quod probatur quia individuum signatum potest habere abstractam speciem in intellectibus pluribus, quorum quaelibet est quaedam determinata similitudo illius individui et non tota similitudo. Si igitur poneretur tota illa similitudo et species subsistens simpliciter, sequeretur quod illa esset repraesentativa signati individui*, et tamen esset quoddam totale simpliciter subsistens. Secundum hoc ergo intelligendum est quod deitas est quaedam totalis similitudo et eminens exemplar omnium singularium signatorum, nec propter hoc, quod exemplar est singularium, desinit esse forma simpliciter et natura subsistens. **/X 823a/**

Non obviat vero quarta, quia non probat aliud nisi quod deitas non repraesentat individuum designando ipsum, et quod divinus intellectus non intelligit signatum exercendo signationem, et hoc utique verum est, sicut apparuit. Sed quin possit abstracte et immaterialiter intelligere individuum signatum aut signabile, signatione quidem non facta a se, sed factibili ab alio, non probatur.

Non obsistit etiam ultima, quia probatum est quod individuum ut signatum, utpote haec albedo, adeo dissimilis est omni rei in esse hanc albedinem quod nulla res potest dici haec albedo nisi aequivoce. Vox enim erit eadem et omnino aliud significatum, sicut est de nomine Petri, cum praedicatur de pluribus.

In hoc ergo tertius articulus terminetur.

## Articulus Quartus

**An Dei scientia sit in se universalis vel particularis, et utrum sit discursiva, et an sit univoca vel aequivoca scientiae nostrae, et an sit causa rerum. Et primo an sit universalis. Opinio Thomae in *Scripto* primo.** Circa quartum vero considerandum quod condiciones divinae scientiae poterunt apparere ex quadruplici inquisitione. Prima quidem an sit particularis vel universalis. Dixerunt namque aliqui quod nec universalis est nec particularis, quia condiciones scientiae praecipue attenduntur secundum rationem medii, et similiter cuiuslibet cognitionis. Id autem quo Deus cognoscit quasi medio est essentia sua, quae non potest dici universale, quia omne universale additionem* recipit alicuius per quod determinatur et ita est in potentia et imperfectum in esse. Similiter non potest dici quid particulare, quia particularitatis [particularis Vb] principium materia est vel aliquid loco materiae se habens, quod Deo convenire non potest.

Sed iste modus dicendi deficit in ratione quam assumit, videlicet quod scientia dicatur universalis vel particularis ex ratione medii **/Vb 388vb/** cognoscendi et non potius ex cognitione obiecti. Constat enim quod metaphysica dicitur scientia universalis, unde et aliae dicuntur particulares scientiae respectu ipsius, ut patet I et IV *Metaphysicae*. Sed manifestum est quod hoc non dicitur nisi quia subiectum eius est universale, sub quo aliarum scientiarum subiecta quasi particulariter continentur, species enim per quas metaphysicus cognoscit sunt aeque particulares entitative, sicut ille per quas cognoscit physicus. Et similiter habitus metaphysicae est ita singularis et individuus, sicut habitus physicae. Ergo universalitas et particularitas in scientia non attenditur penes medium* cognoscendi, nec penes habitum in se, sed penes obiectum.


© R. L. Friedman

Praeterea, Philosophus, I *Posteriorum*, distinguit demonstrationem universalem a particulari, penes universalitatem et particularitatem obiecti. Sed constat quod demonstratio causat scientiam, ergo universalitas scientiae attendi **/X 823b/** debet penes scibilia obiecta. Unde dicitur ibi quod scibilia, secundum quod sunt universalia, magis scibilia sunt quam secundum partem. Demonstrabilia ergo universalia sunt.

Praeterea, si verum esset quod ab istis assumitur, nulla scientia deberet dici universalis, cum habitus et species quae sunt media cognoscendi, sint quaedam res singulares existentes in singularibus intellectibus hominum singulorum*. Sed hoc est inconveniens. Igitur id quod prius.

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur, unde tenendum quod scientiae universalitas vel particularitas attendi debet penes obiectum. Nunc autem obiectum divinae scientiae potest accipi proprium et terminativum, videlicet <essentia> sua quae sola terminat eius intuitum, et secundum hoc non est universalis et particularis, cum essentia Dei sit tota natura simpliciter subsistens et ita non particularis aut individua, nec etiam universalis, cum de nullo praedicetur nec plurificabilis sit. Si vero loquamur de obiecto denominative et aequipollenter cognito, videlicet de creatura quae nec primo nec secundario divinum aspectum terminat, sed dicitur intellecta per aliquid eminens quo cognito equivalenter dicitur visa. Secundum hoc potest dici et universalis et particularis, quia essentia Dei, ab eius intellectu prospecta, <est> omne universale et omne particulare et omnes res et ratio, et universaliter omne* quod cognoscibile est, dicitur aequipollenter esse prospectum. Unde secundum hunc modum posset concedi quod est scientia universalis et particularis sermocinalis rationalis et realis et physica ac metaphysica, sed quia haec denominatio non est propria, sed illa quae sumitur ab obiecto terminativo, ideo absolute dicendum est quod nec est universalis Dei scientia nec particularis, sicut Commentator concedit XII *Metaphysicae*.

**An scientia Dei sit univoca vel aequivoca scientiae nostrae. Opinio Thomae in *Scripto* primo.** Secunda vero inquisitio est an Dei scientia sit aequivoca vel univoca nostrae. Dixerunt namque aliqui quod non potest dici univoca quia quandocumque forma significata per nomen est ipsum esse, non potest univoce convenire propter hoc quod in omnibus univocis communitas accipitur secundum rationem naturae et non secundum esse. Humanitas enim non est secundum esse in duobus hominibus, sed secundum eandem rationem naturae et quiditatis. Cum igitur in Deo forma sit ipsum esse, impossibile est quod aliquod nomen significans formam, utpote scientia vel bonitas vel etiam ipsum ens, univoce dicatur de Deo et creatura. Non potest etiam dici quod scientia nostra sit pure aequivoca cum divina, nam in pure aequivocis* per casum et fortunam, ex uno non cognoscitur alterum, sicut patet. Cum idem nomen duobus hominibus convenit, per scientiam autem nostram* **/X 824a/** in cognitionem divinae scientiae devenitur. Nec potest **/Vb 389ra/** etiam dici quod dicantur analogice secundum convenientiam in aliquo uno quod conveniat eis per prius et posterius, quia inter Deum et creaturam non potest unum aliquid tale reperiri, et propter quod est inter eas analogia secundum imitationem, prout est in illis quorum unum aliud imitatur quantum potest nec perfecte ipsum assequitur.

Sed hic modum dicendi irrationabilis est quantum ad medium quod inducit ad probandum quod scientia Dei non sit univoca nostrae, non est enim verum quod hoc sit quia quiditas et esse sunt idem in Deo. Probatum est enim supra quod in omni re idem sunt essentia et esse, differentia secundum modum concipiendi. Sed hoc non tollit quin in rebus univocatio sit. Igitur ratio sufficiens non fuit.

Praeterea, sicut in duobus individuis non est idem esse realiter, sic nec eadem quiditas secundum rem, non enim est eadem realitas humanitatis in duobus hominibus, sed similis tantum, sicut nec idem esse, sed simile. Sed hoc non obstante, similitudo quiditatis sufficit ad univocationem et similiter conformitas ipsius esse. Ergo non exigitur ad univocationem quod quiditas realiter differat ab esse. Unde patet quod haec ratio deficit per non causam ut causam.

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur unde sciendum quod sicut supra dictum est, scientia, sicut et cetera attributa, potest accipi vel pro generali


© R. L. Friedman

conceptu, importante perfectionem simpliciter qui quidem non dicit rationem aliquam aut rem determinatam in recto, quamvis certum connotatum importet extrinsece; aut potest accipi quantum ad illam rem et rationem in quam coincidit, cum applicatur ad Deum et creaturam. Accipiendo itaque primo modo, cum nullam rationem dicat in recto sed totum conceptum entis (est enim scientia id quo aliquid habetur in prospectu), secundum hoc nulla potest esse aequivocatio in recto, cum non importetur aliqua ratio, univoca autem secundum unam rationem dicantur, cum* tamen aliqua univocatio in connotato, quia sicut in creatura connotatur per scientiam obiectivam principalitas alicuius, ita etiam in Deo. Si vero secundo modo accipiatur 'scientia', sic est vera analogia qualis est inter exemplar et similitudinem diminutam seu exemplatam et ex parte eius, in quod incidit secundum conceptum rectum, coincidit enim in deitatem, prout applicatur ad Deum; in qualitatem vero quandam prout applicatur ad nos quae est quaedam similitudo diminuta, exemplata a ratione deitatis. Similiter etiam et ex parte connotati, nam ad esse praesens obiective connotatur per scientiam in Deo et in nobis, sed illud aliquid coincidit in Deo in ipsammet deitatem, positam in esse apparenti reali et subsistenti quod Verbum est; in nobis vero in quascumque naturas cognitas **/X 824b/** et positas in esse intentionali et diminuto, quae sunt verba multiplicia et diminuta et ita est assimilatio diminuta ex parte connotatorum et propter hoc talis est ibi analogia qualis est inter speciem albedinis et albedinem, aut inter hominem pictum et verum. Unde quasi sapit aequivocationem, non tamen casualem, et propter hoc Commentator, XII *Metaphysicae*, com. 50, dicit quod quia primus scit naturam entis in eo quod est ens simpliciter quod est ipsum, ideo hoc nomen scientia aequivoce dicitur de scientia sua et nostra.

**An scientia Dei sit causa rerum et natura* creata. Opinio Thomae, parte prima, quaestione 14, articulo 7.** Tertia quoque inquisitio est an scientia Dei sit causa rerum, dixerunt namque aliqui quod, cum forma intelligibilis ad opposita se habeat (nam oppositorum eadem est scientia), non produceret determinatum ef-**/Vb 389rb/**-fectum forma intelligibilis, nisi determinaretur ad unum per appetitum, ut dicitur in IX *Metaphysicae*. Idcirco necesse est quod scientia Dei sit causa rerum secundum quod habet voluntatem coniunctam. Unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis.

Sed hic modus dicendi aequivocat de causalitate, dato enim quod non esset Deus causa efficiens omnium, adhuc Deus per scientiam suam esset exemplar rerum. Unde et Commentator concedit, XII *Metaphysicae*, com. 50, huiusmodi causalitatem scientiae divinae. Sed manifestum est quod istam causalitatem habet absque coniunctione et concomitantia voluntatis, quia voluntas nihil facit ad rationem exemplaritatis, alioquin faceret ad hoc quod res essent vita in Deo. Igitur non est verum quin ratio causalitatis congruat divinae scientiae nisi adiuncta voluntate, sicut isti dixerunt.

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur, unde considerandum quod divina scientia etiam sine voluntate habet ex se duplicem causalitatem respectu omnis entis.

Primam quidem formae exemplaris et mensurantis omnem entitatem, de ratione enim mensurae est quod sit prior mensurato, ita quod si non esset in rerum natura, nec mensuratum esset; et iterum, quod rectitudo et defectus, veritas et falsitas attendatur in mensurato per conformitatem ad mensuram. Sed manifestum est quod talis est Dei scientia respectu omnis entis, est enim quaedam similitudo omnis entitatis eminens et subsistens, prior omni alia entitate, a qua omnis alia entitas transcribitur et exaratur, quae si non esset, nulla alia entitas esset, quia non posset natura ingeminare entitatem aliquam deminutam, nisi illa prius universaliter subsistens praeexisteret in natura; et iterum omnis excessus et defectus et convenientia* sive formositas et deformitas, veritas et falsitas attenduntur in omni entitate secundum conformitatem vel difformitatem **/X 825a/** ad illam entitatem universalem. Per oppositum autem scientia nostra est similitudo deminuta rerum, quae non esset nisi praeexisterent* ipse res cuius etiam veritas et falsitas sumitur penes conformitatem et difformitatem ad res. Ergo scientia Dei habet causalitatem mensurae et exemplaris ex se, non per adiunctionem voluntatis.


© R. L. Friedman

Secundam vero causalitatem etiam habet, scilicet activitatem scientiae practicae, causalitas enim scientiae operativae consistit in hoc quod coagit potentiae executivae per modum determinantis. Unde determinatio effectus attribuitur sibi, consurgit enim una perfecta causalitas ex potentia activa artificis et ex ipsius scientia, sicut et ex qualitatibus activis et passivis et ex forma specifica. Nam non sufficit ad effectum potentia executiva, immo requiritur determinatio sine qua impossibile est effectum pertingere ad formam determinatam, nec agens formam determinatam inducere. Unde Philosophus in II *De generatione* dicit quod ponentes qualitates activas aut passivas esse causas effectivas rerum, auferendo causalitatem a quod quid est et forma, derelinquunt causam principaliorem, sicut et in his quae fiunt ab arte qui attribueret causalitatem organis. Ex quo patet secundum Philosophum quod licet una perfecta causalitas artificis integretur ex arte et ex potentia motiva, nihilominus causa principalior est ars ipsa, cui attribuitur determinatio. Sed declaratum est supra quod scientia Dei, qua intuetur suam essentiam, est practica respectu creaturarum, dato quod non concomitetur voluntas producendi **/Vb 389va/** creaturam propter aptitudinem et activitatem possibilem. Ergo ex se habet divina scientia quod sit causa rerum, secundum causalitatem principii effectivi, cum principium effectivum non sit sufficiens, nisi habeat in se formam determinante eo modo quo dictum est.

**An scientia Dei sit discursiva et attingens enunciabiles veritates. Opinio Thomae, parte prima, quaestione 14, articulo 7 et 14.** Quarta quoque inquisitio est an scientia Dei sit discursiva et attingens enunciabilia. Dixerunt autem aliqui quod ideo Deus scit omnia enunciabilia, quia novit quicquid est in potestate sua vel creaturae. Est autem in potestate creaturae formare enunciabilia, quia in potestate intellectus nostri. Non tamen cognoscit enunciabilia per modum enunciabilium, sic quod sit compositio vel divisio enunciationum in intellectu eius, sed unumquodque cognoscit per simplicem intelligentiam, intelligendo essentiam uniuscuiusque, sicut si nos in hoc ipso quod intelligimus, quid est homo, intelligeremus omnia quae possunt de homine praedicari. Quod quidem intellectui nostro non contingit, sed de uno in aliud discurrit, propter hoc quod species intelligibilis sic repraesentat unum quod non repraesentat aliud. Unde intelligendo quid est homo non ex hoc ipso alia quae in eo sunt intelligimus. Sed species intellectus divini, scilicet eius essentia, sufficiens est ad demonstrandum omnia, unde intelligendo essentiam suam, cognoscit essentias omnium et quaecumque accidere possunt; nec est in eo **/X 825b/** discursus secundum successionem, nec etiam secundum causalitatem, quasi principia causarent in eo notitiam conclusionum.

Sed hic modus dicendi minus sufficiens est quoad aliqua. Primo quidem in eo quod enunciabilia ideo dicit cognosci a Deo quod ipse cognoscit quicquid est in eius potestate vel creaturae. Hoc enim, licet arguat Deum posse cognoscere, non tamen est sibi ratio cognoscendi; licet enim virtus et potestas divina cognosci non possit, nisi cognoscantur ea ad quae se extendit sicut nec aliqua relatio aut habitudo nisi proprius eius terminus cognoscatur, non tamen habitudo aut quaevis connotatio est ratio terminum cognoscendi, sed potius e converso. Non igitur verum est quod notitia potestatis aut virtutis divinae sit sibi ratio cognoscendi ea quae subsunt suae potestati, unde essentia per rationem essentiae, non per rationem virtutis activae, est ratio divino intellectui omnia cognoscendi. Immo dato quod Deus per impossibile activam potentiam non haberet, adhuc omnia intelligeret.

Secundo vero deficit in hoc quod dicit Deum intelligere non per modum enunciabilium, sed per simplicem intelligentiam, sic quod intelligendo essentiam uniuscuiusque, intelligit omnia quae de ipso praedicari possunt. Secundum hoc enim videretur quod Deus non cognosceret immediate proprias passiones alicuius subiecti, sed per essentiam illius subiecti, nec etiam comparationem praedicati ad subiectum immediate et per se, quod verum esse non potest*. Deus enim per se et immediate cognoscit quicquid habet per se aliquid propriae entitatis, cum sua essentia sit similitudo cuiuslibet entitatis, quantumcumque minima sit. Sed propriae passiones habent propriam entitatem aliquo modo et similiter esse quod importat comparatio* est aliud esse ab essentia subiecti. Ergo unumquodque Deus videndo essentiam suam, in sua proprietate immediate cognoscit. Nec est vere dictum quod intelligendo essentiam uniuscuiusque, cognoscat omnia quae possunt eis accidere. Et confirmatur, quia in


© R. L. Friedman

propositionibus contingentibus dici non potest quod cognita essentia <subiecti>, cognoscatur praedicatum aut complexio utriusque.

Tertio vero deficit in hoc quod ait essentiam divinam esse speciem intellectus divini, per quam enunciabilia et omnia alia cognoscit; secundum hoc enim sequeretur quod divina essentia esset quasi species et creaturae essent obiecta intellectum divinum terminantia, et prima **/Vb 389vb/** obiecta, quia species non tollit in nobis quin creaturae dicantur obiecta prima intellectus nostri; et iterum essentia divina est obiectum terminans divinum intellectum, etiam secundum istos. Sed, secundum eosdem, species intelligibilis non se habet ad intellectum sicut id quod intelligitur, sed potius tanquam id quo intelligitur. Ergo non potest dici quod divina essentia sit species intellectus divini, cuius oppositum ipsi dicunt. **/X 826a/**

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur. Unde considerandum quod, cum scientia dicatur discursiva vel enunciativa ex obiecto terminativo, dici non potest quod scientia Dei sit discursiva vel enunciativa: tum quia obiectum est sua essentia quae est omnino simplex et indivisa; tum quia intuitus formalis est omnino simplex et unicus. Propter quod dici potest simplex intelligentia et intuitiva notitia et nullo modo discursiva vel enunciativa. Sed quia deitas est similitudo eminens omnis entitatis, actus autem discursivus animae est quaedam entitas et similiter actus enunciativus; syllogismus etiam formatus et propositio est aliqua entitas obiective et intentionaliter et secundum rationem; similiter etiam compositio quae est in re extra est aliqua entitas; idcirco deitas est similitudo omnium istorum, sic quod ea cognita ab intellectu divino eminenter, dicuntur cognitae*: omnes actus discursivi et enunciativi et enunciationes ac discursus obiectivi; necnon et reales compositiones et divisiones existentes in creaturis, de quibus enunciationes et discursus syllogistici possibiles sunt formari.

Et in hoc quartus articulus finitur.

## Responsio ad obiecta

Ad ea ergo quae in oppositum inducuntur dicendum est.

Ad primum quidem quod singulare signatum apprehendere ipsum signando et situando spectat ad imaginationem vel sensum, quia talis cognitio materialis est et linealis; apprehendere tamen singulare et ipsius signationem, absque hoc quod exerceatur signatio, sed tantum immaterialiter cognoscatur, possibile est divino **/X 826b/** intellectui eo modo quo declaratum est in corpore quaestionis.

Ad secundum dicendum quod nulla vilitas obiecti attenditur in ordine ad potentiam cognitivam, nisi in quantum ex hoc anima afficitur horrore vel tedio, ut superius dicebatur.

Ad tertium dicendum quod, licet Deus sit forma subsistens, potest tamen esse similitudo materiae cum sit quaedam entitas. Per hoc enim quod est ens in potentia, iam non est nihil, similiter etiam deitas est similitudo individui signati. Nam declaratum est supra quod individuum signatum potest habere similitudinem immaterialem et subsistentem.

Ad quartum dicendum quod singularia sunt incerta in ordine ad intellectum qui accipit notitiam suam ab eis, sed non relata ad illum intellectum qui habet in se sufficientem similitudinem et immutabilem respectu omnium: qualis est intellectus divinus.

Ad quintum dicendum quod intellectus est per se et immediate universalium, singularium vero non <sine> sensatione vel imaginatione passiva, quia signatum individuum, in quantum signatum, includit signationem vel signabilitatem passivam quam facit imaginatio vel sensus, et nullatenus intellectus. Et per idem patet ad sextum.

Ad septimum dicendum quod divina essentia potest esse similitudo eminens et exemplar appropriatum individui signati secundum illum modum qui superius est expressus.

Ad ultimum dicendum vel quod Algazel non recipitur in hac parte vel quod singularia Deus dicitur universaliter cognoscere, quia similitudo singularis signati quae est in Deo non est particularis, sed tota similitudo subsistens et ita intelligit singulare, non modo singulari.


© R. L. Friedman